Dat. die 13 Mart. 1761 Ann. III.

## CXC.

Confirmato Rescripti Sacræ Congregationis Concilii, et Decreti Exequutorialis Episcopi Gadicensis, quibus administratio pii operis ab Josepho della Quintana Suarez de Toledo relicti, et retinenda a Ministro Tertii Ordinis S. Francisci de pœnitentia Conventus Gadicensis, ceditur perpetuo favore Discretorii prælaudati Tertii Ordinis.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Exponitur pia institutio Josephi della Quintana Suarez de Toledo, cujus exequutionem Ministro hujus Ordinis in Conventu Gadicen existenti comisit.

§. 1. Nuper pro parte delictorum filiorum Ministri, ac Discretorii Tertii Ordinis S. Francisci de pœnitentia nuncupati, in Conventu Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Civitatis Gadicen, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod tunc in humanis agens Josephus della Quintana Suarez de Toledo, in suo sub quo anno MDCCXXXIII ab humanis decessit, condito testamento, bona ac annuos fructus, redditus, et proventus, ex bonis prædictis provenientes, cujusdam fideicommissi, sive majoratus ad se spectantis, veluti ultimus lineæ fundatoris possessor, transtulit in quemdam Patronatum ad certas pias causas a se institutum, electo in Patronum actuali Ministro pro tempore existenti Tertii Ordinis prædicti, cui quidem Ministro post demandatam eorumdem fructuum erogationem in annuas præstationes pro alimentis propriæ Uxori suæ relictis, et in alia opera pia, disposuit hisce verbis = nempe = Il residuo poi, che dopo sod-» disfatto, e pagato tutto ciò, che si è » detto, nei tempi ordinarj rimarrà del » fruttato delle possessioni di questo Pa-» tronato, con avere reso conto ogni an-» no al detto Venerabile Terz'Ordine, ri-» spetto all'adempimento dei suddetti » obblighi, distribuire, e spendere in » ciò, che li parerà più necessario, ed » urgente per la decenza della Cappella, » e culto Divino del detto Terz' Ordine » a suo arbitrio, e volontà, senza che » veruna persona gli si opponga per ve-» run pretesto, perchè espressamente lo » proibisco ».

Gadicenses Ministri hujus Ordinis ejusdem pii Operis Administrationi valedixerunt.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod anno MDCCLIII. dilectus itidem filius Marcus Catalfamo tunc existens Minister dicti Tertii Ordinis, uti privativus Patronus piorum operum a dicto Josepho Testatore relictorum, favore dicti Discretorii cesserat, et renunciaverat omnia jura super prædicta administratione sibi competentia, etiam quoad fructus superextantes post adimplementum piorum Operum, quorum erogatione voluerat fieri se se conscio, et præsente. Anno itidem MDCCLIX. similem renunciationem emiserat dilectus filius frater Gulielmus Molone tunc, et de præsenti Modernus Minister.

successive, favore Discretorii Ordinis prædicti.

Discretorium, et Minister Gadicensis, implorata facultate a Comissario Generali Ordinis, Sacræ Congregationi Concilii supplices fuere, pro perpetua cessione Administrationis pii Operis ab Discreterio retinendæ.

§. 3. Verum Discretorium, et Minister hujusmodi plurimum exprobant, quod hujusmodi renunciationes afficerent etiam Successores in dicto Ministerio, et quod in perpetuum essent observandæ, et super præmissis facultatem a dilecto filio moderno, seu tunc existente Commissario Generali memorati Ordinis ejusdem Sancti Francisci obtinuerant, ab eadem Cardinalium Congregatione pro informatione, et voto requisitus fuit Venerabilis frater Episcopus Gadicen, qui omnia prænarrata comprobans, censuit eorumdem exponentium precibus esse annuendum tamquam æquitati, et justitiæ consonis, ex quo gratia mentem ipsius Josephi Testataris potius confirmabat per exactiorem erogationem residualium redituum a Discretorio hujusmodi faciendam, quam ex solo arbitrio Ministri prædicti, ac ejusdem Ordinis, disciplinam, pacem, et tranquillitatem promovebat, et Ministri, seu Ministerii ambitus eliminabat, et servabantur Constitutiones dicti Tertii Ordinis, prohibentes illius Ministris expensas arbitrarias excedentes tenuem summam duodecim Regalium de Vaglion monetæ illarum partium; dictusque Episcopus reputabat ad divini cultus decorem, et augmentum, eamdem gratiam necessariam esse; ex qua habebatur, erogationem redituum superextantium hujusmodi, melius esse si fieret judicio totius Discretorii, quam ex voluntate independenti solius Ministri, ac ipse Episcopus tandem addidit, dictum modernum Commissarium Generalem secundo dicti Ordinis, qui astiterat ipsi Josepho Testatori morienti, asseverare, cum eo cuncta ista dictum Josephum Testatorem petractasse, suumque consilium exquisivisse, ejusque animum, et intentionem fuisse, ea bona, nec non prædicti Patronatus residua, judicio Discretorii dicti Tertii Ordinis subjecta relinquere, ac demum dictus Episcopus conclusit, eumdem Commissarium adjungere verba Testamenti prædicti, innuentia liberam disponendi fa-

fultatem inconsulto Discretorio dicti Tertii Ordinis illius Ministro data; incuria Tabellionis, ac contra ipsam sibi notam Testatoris mentem, obrepsisse.

Sacra Congregatio Concilii, audito prius Episcopo Gadicensi, etCommissario Generali Ordinis, ipsius Episcopi arbitrio relinquit imploratæ perpetuæ cessionis Administrationis approbationem, consulto tamen Ministro.

§. 4. Eadem Cardinalium Congregatio suum edidit rescriptum tenoris sequentis videlicet = *Die 22. Novemb.* 1760 *Sacra Congregatio Emrum S.R.E. Card. Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione Episcopi Gadicen, benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis, pro suo arbitrio. et conscientia supradictis Oratoris precibus gratis indulgeat, juxta petita, conscio tamen, et consulto Ministro.* =

Preces porrectæ Episcopo Gadicensi pro præfatæ perpetuæ cessionis approbatione.

§. 5. Vigore autem hujus rescripti dictus Gullielmus supplicem eidemEpiscopo Gadicen libellum porrexit, qui attentis expositis, et utens facultatibus sibi ab eadem Cardinalium Congregatione tributis, suum itidem edidit Decretum, tenoris sequentis = nempe = Illme, et » Rme Dne = Gullielmus Moloni Minister Vener. Tertii Ordinis S. Francisci in Conventu Fratrum Discalceatorum hujus Civitatis reverenter ei » exponit, administrationem Patronatus » instituti a quondam Josepho de la » Quintana, Ministris pro tempore dicti » Tertii Ordinis fuisse commissam, ac » juxta illius Testamentariam dispositionem, potuisse eosdem Ministros ad » ipsorum arbitrium erogare fructus dicti Patronatus superextantes, itemque » hujusmodi arbitrariæ erogationis, tamquam præjudiciali, renunciasse R. D. » Marium Catalfano, olim Ministrum, » ipsumque exponentem de consensu » Discretorii, ad hoc ut, omnium Discretorum interventione, dicti superextantes fructus in majus Dei servitium » erogarentur, capta desuper resolutione, ut pro perpetua renunciationum » ab ipsis emissarum observantia, a Sede Apostolica opportunum impetraretur beneplacitum; hinc exhibitum » supplicem libellum ad Sacram Congregationem Concilii fuisse remissum, » a qua petita informatione, et voto » D. V. Illmæ, fuisse subinde transmissam, visisque omnibus videndis, a » dicta Sacra Congregatione, editum esse » Rescriptum, quod hic exhibetur. » Propterea in ejusdem Rescripti exequutionem, reiterando, quatenus opus » sit, suum consensum, Orator supplicat, quatenus plenariæ mittatur » exequutioni dictum Rescriptum, sibique originaliter consignari mandetur Decretum desuper interponendum. Gadibus die trigesima Januarii » MDCCLXI.= Attentis expositis pro parte D. Guillelmi Moloni Moderni Ministri Venerabilis Tertii Ordinis Sancti Francisci, erecti in Conventu RR.PP. » Discalceatorum hujus Civitatis, precibus olim porrectis SSmo Dno Nostro » ac remissis Sacræ CongregationiConcilii; informatione, et voto inde a Nobis petitis, et per Nos veraciter, ac » fideliter ad eamdem transmissis, ac » Rescripto subinde desuper edito, die » vigesima secunda Novembris anni proxime præteriti MDCCLX., modo Nobis exhibito ab eodem D. Guillelmo » Moloni, cum instantia, ut per Nos debitæ mandetur exequutioni. Cum » omnia narrata vera esse comperiamus, » admittentes præfatum Rescriptum, et » in hac parte utentes facultatibus Nobis pro Nostro arbitrio, et conscientia commisis; tenore præsentis Nostri » Decreti, præmissa consultatione cum » eodem Ministro, præcipimus, atque » mandamus, quatenus tam idem modernus Minister, quam omnes alii » quotquot in hujusmodi officio ei succedere pro tempore contingat, simul » cum Discretorio, et Confratribus præfati Tertii Ordinis, ad ipsius majus » bonum, et utilitatem, observent, observarique faciant, quod administratio bonorum, ac redditunm, ex quibus dictus Patronatus componitur, » nunc, et in futurum nequaquam geratur arbitrio ministrorum tantum, sed » de administratione Patronatus hujusmodi, instituti a quomdam Josepho » de la Quintana Suarez de Toledo curam habere debeat Discretorium dicti Tertii Ordinis, simul, et æqualiter cum Ministris pro tempore existentibus, ipsumque Discretorium unanimiter cum Ministro, exactionem, » et erogationem omnium ad dictum » Patronatum pertinentium fieri procuret. Utque a Pio Institutore disposita, plenariam sortiantur exequutionem, præsens hæc ordinatio, et mandatum, inter acta Discretorialia dicti » Tertii Ordinis describantur. Ad quorum » omnium validitatem, firmitatem, atque observantiam, Nostram desuper » auctoritatem, judicialeque Decretum » interponimus, quod simul cum Rescripto Sacræ Congregationis Concilii » exhibenti tradi volumus, ut de eo » constet, et alias ad omnes juris effectus = Fr. Thomas Episcopus Gadicensis = de Mandato Rmi Domini » Episcopi. Lucas Lopez de Barno a Secretis.

Pontifex supra relatum Rescriptum; et

§. 6. Cum autem, sicut dicti exponentes Nobis subinde exponi fecerunt,

Decretum exequutoriale, Apostolica auctoritate confirmat, et approbat.

decreta hujusmodi quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta ejusdem Cardinalium Congregationis, ac moderni Episcopi Gadicensis decreta, sicut præmittitur, edita, et publicata, ac omnia, et singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjcimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes, easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Non obstante supradicti Josephi, Testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa, sufficienter, et expresse commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Tertii Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

## CXCI.

Dat. die 13 Martii 1761 Anno III.

Superiorissæ Monasterii S. Catharinæ Virginis, et Martiris Venetiarum, Ordinis S. Augustini, Abbatissæ titulum, quo ex consuetudine donabatur, Apostolica auctoritate perpetuo tribuit, itemque baculi deferendi privilegium in solemnioribus festis, et annuli benedicti digito gestandi.

Dilectæ Filiæ Mariæ Aloysiæ Abbatissæ, aliisque Sanctimonialibus Monasterii S. Catharinæ Virginis, et Martiris Venetiarum.

Clemens PP. XIII.

Dilectæ Filiæ salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Monasticæ vitæ laudes, et Summorum Pontificum studium Sanctimonialibus Deo dicatis gratificandi.

§. 1. Permulta sunt propter quæ jamdudùm Vos, dilectæ in Christo Filiæ, ac Monasterium istud Vestrum habemus loco rerum carissimarum: ac primum quidem intelligimus Monasteria quæque Virginum, quæ Divina Religione consecrantur, esse hortos illos conclusos, fontesque signatos, Jesu Christi delicias, atque amores, ut Nos qui plane immerentes ejusdem vicem gerimus, ad hujusmodi sacra loca tuenda, excolenda, ornanda, studium, operam, atque auctoritatem conferre omnem debeamus. Neque Nobis non vehementer probatur antiquissimum, pulcherrimumque vitæ institutum, quod tanta cum diligentiæ, ac pietatis laude servatis, quodque a maximo illo Ecclesiæ Doctore Augustino proficiscitur, cujus eximia sanctitatis, morum, ac doctrinæ memoria tamdiu laudabitur, quoad Ecclesiæ ipsius dignitas manebit, quæ erit utique sempiterna.

Peculiares causas exprimit amoris sui erga hoc Monasterium.

§. 2. Accedit peculiare quoddam necessitudinis, ac sanguinis vinculum, quo Vobiscum, dilectæ in Christo Filiæ conjungimur, propterea quod in Monasterio isto apud Vos caste, pieque educatæ, ac demum in religiosam Familiam Vestram consecratæ sunt Dilectæ

in Christo Nostri Germani Fratris secundum carnem Filiæ Maria Aloysia, et Maria Quintilia, quarum primam plenissimis suffragiis Monasterio administrando præfecistis: quo delectu si, ut speramus, egregium, ac sincerum de ipsius prudentia, integritate, religione, cæterisque virtutibus judicium tulistis, recens istud munus, et Nobis, et illi in Domino gratulamur, ac si præterea in hoc illi honore demandando erga Nos, quos divino Judicio, nullis nostris meritis, in tam sublimi Pontificatus Romani sede collocatos gaudetis, observantiam, ac pietatem Vestram declarare voluistis, etiam gratias agimus.

Honorifico Abbatissæ titulo Superiorissam perpetuo gratificatur, eique baculi deferendi solemnioribus diebus, et digito annulum benedictum deferendi privilegium confert.

§. 3. Hæc omnia præcipuo quodam jure a Nobis exposcere, ac flagitare videbantur, ut Vobis dilectæ in Christo Filiæ non modo libenter, sed etiam liberaliter quidpiam concederemus, quod ad Monasterium istud Vestrum præcipuis honoribus amplificandum, exornandumque pertineret. Quamobrem, motu proprio, postulante nemine, ac de plenitudine Nostræ potestatis, Te, dilecta in Christo Filia Maria Aloysia, atque eas omnes, quæ in hoc tibi munere succedent; per honorifica Abbatissæ appellatione condecoramus, atque ut perpetuis futuris temporibus Te quidem et quæ Tibi substituentur, Abbatissas appellari, salutari, nominari, inscribi Apostolica authoritate mandamus, atque jubemus: etsi enim quæ Monasterio Vestro regendo præficiebatur, Abbatissæ nomine consalutaretur, tamen eadem appellatio a consuetudine potius, quam a legitimo Apostolicæ authoritatis fonte manasse dignoscebatur: præterea tam Tibi, dilecta in Christo Filia, aliisque Abbatissis, quæ succedent, ut Baculum in supplicationibus, Religiosi instituti Professionibus recipiendis, aliisque sacris muneribus, in diebus solemnioribus obeundis gestare, et Annulum rite benedictum digito semper inserere, et ferre possis, eadem Apostolica authoritate concedimus, atque impertimur, non obstantibus quibuscumque, si quæ sunt, quæ Pontificiæ Nostræ voluntati adversari viderentur. De his omnibus per alias literas certiorem fecimus Ven: Fr: Joannem Patriarcham Venetiarum Antistitem Vestrum, ut Sacræ benedictiones ab eo peractæ, et insignia Abbatissæ collata Apostolicæ huic benignitati novum adjicerent decus, atque, ornamentum.

Religiosa dignitatis insigna non tamquam incitamenta ad superbiam habenda, sed veluti indicia, et documenta virtutum.

§. 4. Sed hæc religiosa insignia dignitatis, scitote Vobis, dilectæ in Christo Filiæ, data, ac donata esse non tamquam incitamenta ad superbiam (quæ a Vobis longissime abesse debet) sed veluti quædam indicia, ac documenta virtutum pulcherrimarum, quibus præ cæteris fulgere, atque majorem in modum exornari debetis. Nam honorifica Abbatissæ appellatio maternam erga Filias pietatem significat. Baculo, mansuetudine temperatam animadversionis se veritatem: Annulus autem, beatissimam illam ac sempiternam charitatis conjunctionem, qua Voscum Divino Sponso Christo Jesu, ad quem omnia sunt referenda, atque inter Vos ipsas copulatas esse decet. Denique, dilectæ in Christo Filiæ, accipite ea ipsa veluti pignora Pontificiæ benevolentiæ, ac liberalitatis, sic tamen, ut a Deo Opt: Max: Sanctissimaque Matre semper Virgine, quibus quidem Vestras preces esse gratas, et probatas arbitramur, suppliciter petatis, in hac tamen difficili, ac sollicitudinis plenissima Ecclesiæ moderatione, Nobis ut detur ea cogitare atque perficere, quæ Divinæ voluntati maxime sunt consentanea; quod quidem ut diligenter, prolixeque faciatis, Vos, et hortamur singulas, et amanter, ac paterne rogamus, atque Apostolicam Benedictionem Vobis, dilectæ in Christo Filiæ, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXCII.

Dat. die 13 Martii 1761. Ann. tertio.

Venetiarum Patriarchæ committit exequutionem Literarum, quibus Superiorissam Monasterii S. Catharinæ ejusdem Civitatis, Abbatissæ titulo perpetuo ditaverat, addita facultate gestandi baculum, solemnioribus diebus, et annulum benedictum digito deferendi.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchæ Venetiarum.

*Literæ Apostolicæ quarum hic exequutio committitur relatæ superiori numero perleguntur.*

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Illustre Monasterium S. Catharinæ Virginis, et Martyris preclarissimæ Ve-

netiarum Urbis, Nostræque communis dulcissimæ Patriæ, in quo Maria Aloysia, e Maria Quintilia, Nostræ in Christo, et Defuncti Germani Fratris secundum carnem suavissimæ Filiæ, optimis primum excultæ moribus, dein Religioso Schemate sumpto, ad præstantissimi Ecclesiæ Doctoris Sancti Augustini regulam, divinis sese manciparunt obsequiis, peculiari aliqua paternæ charitatis significatione, duximus honestandum. Donavimus igitur Mariam Aloysiam, quæ modo ejus Monasterii regimini præest Abbatissæ nomine, quo etsi antea veteri consuetudine uteretur, nulla tamen Apostolicæ authoritatis præsidio muniebatur, concessimus eidem etiam anulum, rite prius a Te benedictum, digito gerendum, et baculum, certis ferendum diebus, sic tamen ut Abbatissæ nuncupatio, ut reliqua honoris insignia, non personam tantum, sed præcipue dignitatem afficerent, atque ipsa cum dignitate, ad eas quæ perpetuo futuris temporibus Monasterio legitime præficientur transirent: Apostolicas autem literas, quas de his dedimus in forma Brevis, cui potius exequendas comittemus, quam Tibi Ven. Fratrer, Nobis, non tam Sacerdotali munere, quam arctissimo amicitiæ vinculo jamdiu conjuncto, ut quidquid elargiti sumus, ministerio Tuo evadat illustrius. Tu ergo diligentissime custos istius floris ecclesiastici germinis, vigilantissime Pastor portionis Gregis Christi Illustrioris, dum hæc, ea qua semper consuevisti prudentia, et charitate perfeceris, adnitere etiam, ac sedulo cura, ut Apostolicæ benevolentiæ Nostræ argumenta, non in terrenam ostentationem, et gloriam cedant, sed in decus, et ornamentum spiritualis gratiæ, ut inde effluat in dies magis pretiosississimus odor Christi, gaudeatque, ut S. Cyprianus inquit, per illas atque in illis largiter efflorescat Ecclesiæ Matris gloriosa fecunditas, atque interea certissimum constantissimæ dilectationis Nostræ pignus sit, Apostolica Benedictio, quam Tibi Ven. Frater peramenter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

## CXCIII.

Dat. die 14 Martii 1761 Anno III.

Concordia, sive transactio inter Episcopum Oscensem, et Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Villæ de Sarinena ejusdem Diæcesis, quoad exactionem nonnullarum decimarum confirmatur, et approbatur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Exponuntur controversiæ exortæ super decimarum divisione.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt Venerabiles frater Antonius Episcopus Oscensis, et dilecti filii Capitulum, Prior, et Portionarii Collegiatæ Ecclesiæ Villæ de Sarinena Diœcesis Oscensis, quod vigente pluribus ab hinc annis inter eumdem Antonium Episcopum ex una, et Capitulum, Priorem, et Portionarios Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi ex altera partibus lite, et controversia super perceptione quarumdam decimarum, ipsi exponentes ad dirimendas quascumque lites, et dissentiones, vitandasque expensas ea de causa necessario faciendas, amicabilem inter se unanimi consensu concordiam, sive transactionem inire curarunt, tenoris sequentis videlicet.

Tenor concordiæ refertur.

Scriptura transactionis, et concordiæ initæ per Illmum Episcopum Civitatis Oscensis, ex una, ac Capitulum Ecclesiasticum Ecclesiæ Collegiatæ Villæ de Sarinena partibus ex altera, super perceptione nonnullarum decimarum, prout inferius continetur.

In Dei nomine ec. Notum, manifestumque sit omnibus, qualiter ante Nos Thomam Cabrero Regium Notarium, et de numero, Civitatis Oscensis, ac Bernardum Franciscum Garzes Notarium Regium, et in Villa de Sarinena habitatorem, et ad præsens in hac Civitate commorantem, simul communicantes, et in solidum testificantes, præsentibus testibus infrascriptis, comparuerunt personaliter constituti, Illmus Dominus D. Antonius Sanchez Sardinero, Dei, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Oscensis, a consiliis suæ Catholicæ Majestatis, ex una, et Domini, Didacus Farlete, ac Josephus Estella Presbyteri Portionarii Ecclesiæ Collegiatæ Villæ de Sarinena, partibus ex altera, nomine et tamquam Procuratores legitimi Prioris, Portionariorum, et Capituli præfatæ Collegiatae Ec-

clesiae recensitae Villae de Sarinena, mediante scriptura publica specialis procurationis ad hunc effectum inita in eadem Villa de Sarinena, sub die vigesima prima currentis mensis, et anni, et per supradictum Bernardum Franciscum Garces Regium Notarium legalizata, cum sufficienti facultate ad infrascripta peragenda, et pertractanda, prout mihi Notario publico infrascripto, de praesenti scriptura testimonium perhibenti, legitime constitit, ac constat: quae procurationis scriptura est sequentis tenoris =

*Tenor procuræ a Capitularibus factæ pro transactione concilianda.*

In Dei Nomine Amen = Pateat omnibus, et sit notum, quod vocato, convocato, et congregato Reverendo Capitulo Prioris, et Portionariorum Collegiatæ Villæ de Sarinena, per intimationem factam a Reverendo Josepho Cladictæ Ecclesiæ Sacrista, qui in pleno Capitulo retulit mihi Notario, testibusque infrascriptis, qualiter ipse de mandato Licentiati Domini Paschalis Mercader ejusdem Capituli Prioris, intimaverat, et convocaverat ipsius Portionarios pro præsenti die, hora, et loco: Ita Congregati in aula Capitulari præfatæ Ecclesiæ, et in loco consueto ad pertractandum tales, et consimiles actus, Nos infrascripti, et sequentes: Præfatus Licentiatus D. Paschalis Mercader Prior supradictus = D. Michael Gomez = D. Franciscus Jella = D. Joseph Ciria = D. Antonius Ysar = D. Emanuel Ponz = D. Franciscus Maestro = D. Hieronymus Lanzo = D. Antonius Lopez, = D. Antonius Angoy = D. Josephus Blanco de Rodellar = D. Josephus Angay = et D. Raymundus Miranda, omnes Prior, Portionarii, et Capitulares præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ, Capitulum facientes, celebrantes, et repræhesentantes, præsentes pro absentibus futuris, et successoribus, omnes concordes, et nemine ex nobis discrepante, vel contradicente, nostris propriis nominibus, et præfati nostri Capituli = Cum ita sit, quod Illmus Dominus Episcopus Civitatis Oscensis, noster Superior, et Antistes fuit, et est ab immemorabili tempore in possessione decimarum nonnullorum fructuum, qui creantur, ac colliguntur in horto, montibus, terminisque hujusmet Villæ de Sarinena, ac locis de Castejon de Manegros, Balfarta, Pallarvelo, Capdesato, et Lastanosa, nec non in terminis de Salabert, Miranda, Lasardera, et Montalvo; quandoque non percipiendo æqualiter præfatos fructus tempore eorum divisionis, et quartæ partis distributione, nonnullis ab hinc annis suscitatæ, et sequutæ fuerunt; et in presentiarum vigent nonnullæ quæstiones, dissidia, ac lites, impensis in istis non modicis summis; in grave notabileque ambarum partium præjudicium; desiderando propterea lites ipsas, ac controversias integraliter extinguere, procedere deinceps pacato animo, et exequi supradictas divisionem, et quartæ partis distributionem, majori cum pace, ac tranquillitate, quodque tuto, ab absque minima dissentione percipiat quælibet pars ex recensitis fructibus illos, qui sibi spectent, ac pertineant, amicabiliter conventum est, confici præsertim scripturam novi stabilimenti conventionis, transactionis, et concordiæ, quæ regulas præscribat, vigore quarum perpetuis futuris temporibus recensitæ divisio, et quartæ partis distributio præfatorum fructuum, fiat sine illis controversiis, quæstionibus, ac dissidiis, quas, et quæ experientia docuit hue usque in vigore fuisse, ad hoc, ut una quæque pars, omni semota dissentione id exigat, ac percipiat, quod suo juri spectari videatur. Ad hoc itaque, ut quod supra dictum est, suum sortiatur effectum, minime revocando alios procuratores a nobis, et a præfato nostro Capitulo usque ad præsens constitutos, et nominatos, nunc de novo, et ex certa nostra scientia, bene conscii de omni nostro jure, et præfati nostri Capituli, damus, et concedimus omnem, et quamcumque nostram facultatem plenam, et sufficientem, quæ de jure requiritur, et est necessaria, Licentiatis Dominis Didaco Tarlete, et Josepho Estella Presbyteris, ac Portionariis præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ ambobus in solidum, et unicuique eorum separatim, et generaliter, ad hoc, ut nostro nomine, et præfati nostri Capituli, possint conficere, et de facto conficiant novum stabilimentum, et scripturam compositionis, conventionis, transactionis, et concordiæ, desuper necessariæ, et opportunæ, cum prædicto Illmo Domino Episcopo, de et super relatis rebus, illis modo, et forma, cum illi pactis, clausulis, securitatibus, ampliationibus, et restrictionibus, quæ præfatis procuratoribus magis fuerint benevisæ; nec non infrascriptis, et sequentibus: quod ex quatuor massis, seu cumulis extrahatur Fanega, (*quæ est mensura illarum partium*), Procura-

» toris sexta decima pars in locis de Casteyon de Monegros Pallarvelo, et Pardina de Moncalvo, et pars vigesima in Lastanosa, et Capdesaso, atque ad favorem ipsius Capituli tertia pars remaneat de dictis quatuor speciebus, aliisque, quæ colligerentur, residuum vero cedat ad favorem præfati Illmi Domini Episcopi, eum remanere debeant in illo statu, in quo usque ad præsens, absque ulla innovatione quartæ partis distributionis hujusmodi Villæ de Sarinena, et Locorum de Lasandera, ac Balfarta, prout quoque divisio agnorum omnium locorum, qui supra recensiti sunt. Quod pro eo, quod attinet ad perceptionem aliorum fructuum, et leguminum, quæ nascuntur, crescunt, et colliguntur in omnibus præfatis locis, se uniformare debeant, et se uniforment, recensiti procuratores, toti eo, quod præscriptum, et stabilitum fuit in Reali Decreto possessorio reportato per Capitulum a Reali Audientia hujus Regni in officio Notarii Georgii de Solapilari, cujus Decreti expeditio mandata fuit die decima octava Augusti anni millesimi septingentesimi trigesimi sexti. Et pro firmitate ac securitate omnium supra relatorum, et stabilimenti, quod super illis iniri contigerit per præfatos procuratores, valeant isti, et quilibet eorum possit obligare, et obligent, ad omnium supradictorum adimplementum, enunciatum nostrum Capitulum, cum clausulis, hypothecis, ac securitatibus opportunis, et necessariis, et vigore talis contractus possint dicti procuratores subscribere, et subscribant opportunam scripturam novi stabilimenti, compositionis, conventionis, transactionis, et concordiæ circa ea, quæ supra dicta sunt, quam nos, dicti nostri Capituli nomine, promittimus, habere firmam, ratam, ac validam, illamque minime revocare quocumque tempore, nec quocumque modo, seu obligatione, quam eodem nomine emittimus, nostrarum personarum, omniumque nostrorum bonorum, ac præfati nostri Capituli, mobilium, et et stabilium, præsentium, et quomodolibet futurorum. Actum fuit in Villa de Sarinena die vigesima prima mensis Julii, anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo, septingentesimo, sexagesimo, præsentibus pro testibus, Josepho Ela Organista præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ, et Matheo Lacasa studente domiciliariis in enunciata Villa. Firmata fuit præsens scriptura in sua originali nota juxta forum Aragonense. = Sig ✠ num mei Bernardi Francisci Garges domiciliarii in Villa de Sarinena, et Regia auctoritate in omnibus Terris, Regnis, ac Dominiis Domini Nostri Regis publici Notarii, qui supradictis omnibus præsens fui = Præfatæ igitur partes, nominibus, quibus supra respective dixerunt: Quod ab immemorabili tempore, et usque ad præsens, semper, et assiduo, taliter, ut de dicti temporis initio hominum memoria non aderat, ipsæ partes, et nonnulli Rectores, seu Parochi locorum, de quibus infra mentio habebitur, fuerant, et erant in possessione universali percipiendi decimas omnium fructuum, qui singulis annis collecti fuerant, nascebantur, et colligebantur in horto, montibus, ac terminis Villarum de Sarinena, et Castejon de Manegros, locorum de Balbarta, Pallarvelo, Lastanosa, et Capdesaso, ac terminorum de Salabert, Miranda, Lasandera, et Moncalvo, et, non habentibus dictis partibus æquale jus percipiendi pro medietate dictos fructus decimales, nam de aliquibus eorum speciebus, majorem percipiebat portionem præfatus Illmus Dominus Episcopus, et de aliis speciebus, enunciatum Capitulum Ecclesiasticum prædictæ Villæ de Sarinena, taliter, ut toto prædicto tempore, inter præfatas partes per semetipsas; et per earum procuratores, nec non recensitos Rectores, seu Parochos, divisi fuerant, percepti, et exacti supradicti fructus decimales, modo sequenti = Illi præfatæ Villæ de Sarinena, et ejus terminorum, unum de decem ex agnis, qui nati sunt in ejus montibus, et in ipsa Villa, ac ex Armentis Montanis, quæ herbas, et pascua sumpserunt in prædictis terminis, et montibus, ac in illis de la plana, qui ex terminus Monasterii Carthusiæ Nostræ Dominæ de las Fuentes, ac in Boario de Moncalvo, termino pariter supradictæ Villæ, et ejus oppidulis, ex agnis de viginti unum, et ex Montanis, aliisque Forensibus, qui herbas comederunt in termino de la Almunia de quindecim, unum, et de sexdecim alterum, quum pertineat supradicto Capitulo Ecclesiastico decima, et primitia hujus termini, absque eo, quod ex omnibus agnis, qui nati sunt, et alimenta sumpserunt in omnibus supradictis terminis, ac montibus, et spe-

Prosequitur concordiæ tenor.

„ ctarunt ad præfatam decimam, et „ primitiam, ullam partem, nec portionem habuerit, nec perceperit dictus „ Illmus Dominus Episcopus; hac de „ causa semper, et integraliter percepti, et exacti sunt tales fructus a recensito Capitulo. Et de omni frumento, „ ac hordeo, collecto, et decimato, „ unum de decem in terminis præfatæ Villæ de Sariñena detracta ex „ mensa, seu cumulo mensura *vulgo* „ *Fanega*, Procuratoris, quæ componitur viginti modjis, et viginti mensuris, ut vulgo dicuntur *Caizes*, una „ pro Collectore, quas ambas Partidas „ percipit, et exigit dictus Illmus Dominus Episcopus, cujus auctoritate „ nominantur Collectores, cuique onus „ incumbit solvendi eorum mercedes, „ quod superest divisum semper fuit inter præfatum Illmum Dominum Episcopum, et enunciatum Capitulum, „ percipiente, et exigente illo, duas partes, unamque præfato Capitulo, exceptis ex dictis terminis illis, qui vocantur la Almurica, et Lasandera, „ loci antea, nunc vero appellati Pardinas, quorum primi fuit Dominus „ temporalis præfatum Capitulum, quod „ propterea, et toto relato tempore, percipit, et exegit integraliter pro se ipso „ totum jus decimæ, ac primitiæ „ omnium fructuum, qui nati sunt, „ nascuntur, et colliguntur, absque eo, „ quod de illis perceperit, vel exegerit, „ percipiat, sex exigat ullam partem, „ vel portionem relatus Illmus Dominus Episcopus. Et pro eo, quod respicit ad secunda de omni decima „ frumenti, siliginis, hordei, et avenæ, quæ in dicto loco de Lasandera „ collecta est, et colligetur, detracta „ mensura, *vulgo Fanega*, Procuratoris, et de viginti mensuris *vulgo Caizes*, una pro Collectore, residuum „ ex dictis quatuor speciebus frumentorum divisum semper est, pro medietate ad favorem dicti Illmi Domini „ Episcopi, et pro altera medietate, „ ad favorem præfati Capituli, a quo „ perceptum est, et percipitur integraliter totum jus decimæ siliginis, et „ avenæ, quæ natæ, et collectæ sunt „ in omnibus terminis dictæ Villæ de „ Sarinena, absque eo, quod in hoc „ habeat, nec habuerit dictus Illmus „ Dominus Episcopus partem aliquam, „ vel portionem, exceptis frumentis, „ quæ nascuntur, et colliguntur in Termino de Moncalvo, quæ repartiuntur, „ et dividuntur, prout infra narrabitur, „ dum verbum fiet de frumentis locis „ de Pallarvelo, et omnis decima milii „ panici, aliorumque similium frumentorum, prout quoque olei, vini, „ croci aleorum, cæparum, et leguminum, lini, canapis, aliorumque „ similis generis, quæ nata sunt, et „ nascuntur, ac colliguntur in omnibus „ terminis præfatæ Villæ de Sarinena „ percepta fuit, et percipitur integraliter a recensito Capitulo, absque eo, „ quod de dictis fructibus, et effectibus habuerit, vel perceperit partem „ aliquam præfatus Illmus Dominus „ Episcopus. Pro eo, quod attinet ad „ decimam agnorum loci de Lastanosa, detractis duobus pro Juratis, seu „ Gubernatoribus dicti loci, divisi sunt „ residuales, de quatuor unus, pro prædicto Capitulo, tres vero pro Rectore „ ejusdem loci. De decima autem frumenti, et hordei; posita in sua respectiva massa, seu cumulo, detracta mensura *vulgo Fanega* Procuratoris, et de viginti mensuris *vulgo* „ *Caizes*, una pro Collectore, de eo „ quod superest, percepit, et exegit „ enunciatus Rector, tertiam partem, „ alia tertia pars percepta est a præfato Capitulo, et residuum exactum „ fuit a prædicto Illmo Domino Episcopo. De decima saliginis, et avenæ detracta mensura, *seu Fanega*, „ Procuratoris et de viginti mensuris, „ *vulgo Caizes*, una pro Collectore, residuum divisum est pro medietate inter eumdem Rectorem, et relatum „ Capitulum, ex eo minime percipient „ partem aliquam, seu portionem prædicto Illmo Domino Episcopo. Quoad „ vero decimam agnorum de illis, qui „ nati sunt in loco de Balbarta, ejusque terminis, detractis duobus pro „ Juratis, seu Gubernatoribus ipsius loci, de eis, qui supersunt, primam „ tertiam partem percipit, et exigit „ Rector præfati loci, et de residualibus, unam partem percipit Capitulum., duæ autem partes a prædicto „ Illmo Domino Episcopo percipiuntur; „ Detracta de decima frumenti, et „ hordei mensura, *vulgo Fanega* Procuratoris, et una de viginti mensuris, *vulgo Caizes*, pro Collectore; „ de eo, quod superest, tertia pars „ cessit, et cedit in commodum Rectoris supradicti loci, de residuo „ vero tertiam partem percipit, et exigit recensitum Capitulum, quodque „ remanet præfatus Illmus Dominus „ Episcopus in sui favorem convertit; „ Quod superest de saligine, et avena, „ detracta pari modo mensura *vulgo*

» *Fanega* Procuratoris, et una de viginti mensuris *vulgo Caizes* pro Collectore; divisum fuit, et dividitur pro medietate favore ipsius Capituli, et tertiam alterius medietatis favore præfati Rectoris, residuales autem partes percipit, et exigit dictus Illmus Dominus Episcopus. Quoad decimam agnorum Villæ de Castejon de Monegros, detractis ex illis quatuor pro Vicario ejusdem Villæ, aliisque quatuor pro Juratis, seu Gubernatoribus, et armentariis Villæ supradictæ, illi, qui remanent, divisi sunt, et dividuntur hoc modo, nempe tres pro prædicto Illmo Domino Episcopo, et unus pro præfato Capitulo. Quod remanet de decima frumenti, et hordei supradictæ Villæ de Castejon, detracta mensura *vulgo Fanega* Procuratoris, et una de viginti mensuris, *vulgo Caizes* pro Collectore, perceptum, et exactum fuit modo sequenti videlicet, duæ ex novem mensuris, dictis *Caizes* a præfato Capitulo, et septem a præfato Illmo Domino Episcopo; Et residuum saligenis, et avenæ post detractam mensuram, seu *Fanegam* Procuratoris, et unam de viginti mensuris, *vulgo Caizes* pro Collectore, divisum fuit, et dividitur de præsenti pro medietate ad favorem Illmi Domini Episcopi, pro altera autem medietate ad favorem præfati Capituli. De decima agnorum loci de Pallaruelo detractis duobus, quos sibimet ipsis eligunt Jurati, et octo, qui eliguntur a præfato Capitulo pro Vicario, illi, qui remanent divisi, sunt, et dividuntur, de quatuor unus pro relato Capitulo, tres vero pro præfato Illmo Domino Episcopo. Quoad frumentum, et hordeum Decimæ præfati loci, et de Pardina nuncupata Moncalvo termini sæpedictæ Villæ de Sarinena, detracta mensura, *vulgo Fanega*, Procuratoris, et de sexdecim mensuris, *vulgo Caizes*, una pro Collectore, de eo, quod remanet percipit, et exigit præfatum Capitulum, de novem mensuris, *vulgo Caizes* duas, septem autem dictus Illustrissimus Dominus Episcopus. Pro eo, quod respicit decimam saliginis, et avenæ, detracta prius mensura, *seu Fanega* Procuratoris, et una de sexdecim mensuris *vulgo Caizes* pro Collectore, ejus quod superest, dividitur, et divisa fuit medietas ad favorem ipsius Capituli, altera vero medietas ad favorem dicti Illmi Domini Episcopi. Decima agnorum loci de Capdesaso, fuit, et est integraliter pro ejus Rectore, insuperque cum omni jure decimæ frumenti, hordei, saliginis, et avenæ duorum habitatorum ad sui electionem, et residuum frumenti, hordei, saliginis, et avenæ, quæ nascuntur, et colliguntur in eodem loco, detracta de istis quatuor speciebus, et de qualibet ipsarum mensura *vulgo Fanega* Procuratoris, et una de viginti mensuris, *vulgo Caizes* pro Collectore, percipit, et exigit Illmus Dominus Episcopus, pro eo, quod attinet ad frumentum, et hordeum, duas de tribus mensuris, seu *Caizes*, unam autem recensitum Capitulum, et pro eo, quod respicit saliginem, et avenam, medietas percipitur ab Illmo Domino Episcopo, altera vero medietas a Capitulo. Quodque quum usque ad præsens tam diversa fuerit repartitio, et perceptio eorum fructuum Decimalium inter ambas partes, prout ad evidentiam dignoscitur, et desumitur ab exposita practica, et consuetudine, quæ in hoc observata fuit, quumque super cognitionem, an hoc sit frumentum, et illa saligo, nonnullis ab hinc annis suscitatæ fuerint tempore divisionis, et quartæ partis distributionis, inter easdem partes multæ quæstiones, ac lites, ad quarum persecutionem in contradictorio judicio ipsæ partes coactæ fuerant in defentionem earum respectivi juris, cum impensa non modicarum pecuniæ summarum, et cum aliis præjudiciis, quæ secum ferunt tales lites, et dissentiones in gravem, enormemque læsionem ambarum partium, absque eo, quod usque ad præsens valuerint affirmative declarare, nec scire, quod nam reputari debeat pro frumento, quodque pro saligine; Desiderando propterea ad finem perducere, totaliter extinguere, et ad nihilum redigere præfatas dissensiones, quæstiones, ac lites actu nunc pendentes, amicabiliter procedere quodque unaquæque præfatarum partium tuto sciat, quidnam percipere, et exigere debeat, absque ulla discrepantia ex enunciatis fructibus decimalibus, celebrarunt eædem partes, nonnullas sessiones, ac conferentias habuerunt cum viris intelligentibus, et effecerunt aliqua quinquennia ad hoc, ut æquale reddere possint proprium respectivum jus, se se uniformando toti eo, quod usque ad præsens percepe-

» runt, et absque eo, quod ab una » parte alteri præjudicium aliquid inferatur, inter se convenerunt amicabiliter, et pro bono pacis inire divisionem præfatorum fructuum decimalium in distinctis terminis, modo, et forma prout etiam usque ad præsens majori in parte observatum est. Ad hoc igitur agendum inierunt hanc publicam scripturam compositionis conventionis, transactionis, et concordiæ, quæ præscribat regulas, quarum vigore in praxi ponatur usque de præsenti etiam futuris temporibus recensita quartæ partis distributio, et divisio sine dissentionibus, litigiis, ac quæstionibus, quæ usque adhuc expertæ sunt, et sine talibus controversiis unaquæque pars percipiat, et exigat de præfatis fructibus decimalibus id, quod suo respectivo juri spectabit juxta proportionem inter ambas partes conventam, ac stabilitam. Ad hoc itaque ut effectum sortiatur, quod supra dictum est, prædictæ partes, et earum quælibet, suo respectivo nomine ex certa scientia certiores redditæ de omni proprio jure, dixerunt, quod efficiebant, et inibant, prout cum effectu effecerunt, et inierunt præsentem scripturam transactionis, et concordiæ, ac novi stabilimenti divisionis præfatorum fructuum decimalium in forma, et cum declarationibus, repartitionibus, conditionibus, et restrictionibus sequentibus. Quod usque de præsenti futuris temporibus, et perpetuo fructus decimales, qui nascentur, crescent, et colligentur in Villa de Sarinena, ejusque terminis supra adamussim relatis inclusis in illis locis, nuncupatis las Perdinas de la Almurica, et Lasandera, idest frumentum, hordeum, saligo, et avena, metiri debeant, repartiri, ac dividi inter ambas partes, forma, et modo supra indicatis, absque eo, quod in aliquo differatur a praxi huc usque servata, remanente integraliter ad favorem præfati Capituli Ecclesiastici ejusdem Villæ de Sarinena perceptione, et exactione agnorum, vini, olei, aliarumque frugum superius enunciatarum, de quibus præfatus Illmus Dominus Episcopus nullam unquam partem, vel portionem percepit, et exegit; Quod fructus decimales, qui nascentur, crescent, et colligentur in loco de Balfarta, ejusque terminis comprehensis agnis dividi debeant, ac dividantur inter ipsas partes, eisdem forma, modo, et terminis, qui supra dicuntur, et prout usque ad præsens, ac toto enunciato immemorabili tempore in praxi extitit absque ulla differentia, cum nihil aliquid innovetur (pro eo, quod respicit præfatam Villam de Sarinena, Locum de Balfarta, ac illos de la Almurica, et Lasandera nuncupatos Pardinas) per præsentem scripturam, de eo, quod usque ad præsens, ac de toto præfato immemorabili tempore ad praxim redactum fuit. = Quod fructus decimales, qui nascentur, crescent, et colligentur, idest frumentum, saligo, hordeum et avena in Villa de Castejon de Monegros in loco de Pallaruelo, cum Loco nuncupato *la Pardina* de Moncalvo, Capdesaso, et Lastanosa, et in eorum respectivis terminis debeant poni in quatuor massis, seu cumulis, una pro qualibet ex dictis speciebus, et detracta ex istis mensura *vulgo Fanega* Procuratoris, (quæ viginti modiis componitur) ac insuper una de sexdecim mensuris *vulgo Caizes* in dicta Villa de Castejon in Loco de Pallaruelo, cum loco, seu Pardina nuncupata Moncalvo, et una de viginti ex dictis Mensuris *vulgo Caizes* in locis de Capdesaso, et Lastanosa pro Collectore, seu Clavario, quorum unum, et alterum percipietur a parte præfati Illmi Domini Episcopi propter satisfactionem stipendiorum prædictorum Collectoris, seu Clavarji, similiterque detracta de dictis fructibus decimalibus, parte, et portione, quæ ut supra declaratum est, pertinet respective ad Rectores, seu Parochos dictorum locorum de Capdesaso, et Lastanosa, qui remanent ex talibus fructibus decimalibus, quique usque ad præsens spectarunt ad præfatum Illmum Dominum Episcopum, et recensitum Capitulum Ecclesiasticum de Sarinena ex nunc deinceps, et perpetuo dividi debeant, ac dividantur, et repartiantur inter ambos sequenti forma = De dictis quatuor massis, seu cumulis respective, percipere debeat, ac percipiat dictus Illmus Dominus Episcopus duas ex tribus partibus, tertia vero a præfato Ecclesiastico Capitulo de Sarinena. = Agni autem Decimæ præfatorum locorum debeant dividi, et dividantur eisdem forma, numero, ac terminis, quibus huc usque in praxi fuit absque innovatione aliqua, seu differentia; Et si deinceps in enun-

» ciatis Villa de Castejon, et Loco de
» Pallarvelo nascentur, et colligentur
» alii fructus, minuti videlicet milium,
» lentis, seu alii consimiles ad quo-
» rum perceptionem ambæ partes jus
» habeant, excepto vino, nam illud de
» Castejon erit pro ejus Vicario, vel
» pro illo, qui ejus jus habebit, prout
» antiquo tempore mos erat vinum Lo-
» ci de Pallarvelo debebit integraliter
» cedere ad favorem præfati Capituli,
» et dicti duo fructus minores, dividi
» debebunt pro medietate inter ambas
» partes = Item stabilitum est atque con-
» cordatum inter ipsas partes, quod
» Collectores, seu Clavarii Villarum,
» et Locorum totius, præfati Decimarii
» nimine valeant formare, nec faciant
» alias massas, seu cumulos præfato-
» rum fructuum decimalium, quam
» quatuor, hoc et unam frumenti, sa-
» liginis alteram, aliam hordei, et
» quartam avenæ, et si convenerit alias
» massas efficere, hoc debeat fieri cum
» approbatione, jussu, ac consensu am-
» barum partium, videlicet dicti Illmi
» Domini Episcopi, et præfati Capitu-
» li Ecclesiastici ejusdem Villæ de Sa-
» rinena, nec alio modo, et in isto
» casu mensura *vulgo Fanega* Procura-
» toris tantummodo exigi, et percipi
» debeat ex præfatis quatuor massis,
» seu cumulis, non vero ex aliis, quæ
» de novo formarentur = Item quia ex-
» perientia demonstravit gravia præju-
» dicia, quæ ambabus partibus illata
» sunt ex methodo, forma, et modo,
» quo usque ad præsens praticata fuit
» mensuratio, ac divisio præfatorum
» fructuum decimalium ubi colligun-
» tur, et adunantur ad obvianda talia
» præjudicia, stabilitum, conventum,
» et concordatum est inter ambas par-
» tes, quod ex nunc deinceps mensu-
» rari, repartiri, et dividi debeant di-
» cti fructus usque ad minimum fru-
» mentum, ex omnibus illis, quæ col-
» ligentur, ideoque, et ad effectum illa
» integraliter colligendi secum ferant di-
» ctæ partes Palam, et Scopam, et
» quamvis adsit multa frumentorum por-
» tio mensuranda, nunquam tamen pos-
» sint esse plures Messores, quam tres,
» duo pro parte ipsius Illmi Domini
» Episcopi, tertius vero pro parte præ-
» fati Capituli Ecclesiastici, insumpto
» in ipsa mensuratione toto eo tempo-
» re, quod opportunum fuerit ad hoc
» ut majori cum æquitate, ac justifi-
» catione peragatur = Item sicut alio
» tempore nonnulli Collectores eorum
» propria auctoritate, et absque con-
» sensu dictarum partium, nec alicu-
» jus ex eis, et antequam procederent
» ad mensurationem dictorum fructuum
» decimalium in grave præjudicium
» earumdem partium cambios fecerunt
» frumentorum permutando frumen-
» tum bonæ qualitatis cum alio infi-
» mæ conditionis, ita ad consulendum
» similibus perniciosis abusibus, stabi-
» litum, et concordatum est inter am-
» bas partes, quod deinceps præfati
» Collectores, nec eorum aliquis pos-
» sint hujusmodi permutationes effice-
» re, nec illis dictæ partes consensum
» præbere, et si secus facient aliqui,
» seu aliquis præfatorum Collectorum,
» præfatus Illmus Dominus Episcopus
» debebit prompte, et opportune de re-
» medio providere. Item inter ipsas par-
» tes stabilitum, et concordatum est,
» quod dictus Illmus Dominus Episcopus
» satisfacere, et persolvere debeat per-
» petuo, et annuatim, recensito Capi-
» tulo Ecclesiastico præfatæ Villæ de
» Sarinena tredecim libras Jaqueses
» de onere ordinario, illas easdem, quas
» ipse satisfecit quolibet anno de dicto
» immemorabili tempore usque ad præ-
» sens. Item stabilitum est, ac concor-
» datum inter ipsas partes, quod per
» præsentem scripturam omnes illæ li-
» tes, et controversiæ, quæ inter eas-
» dem partes reperiuntur introductæ,
» circa omnia in eadem sriptura enar-
» rata, et in quocumque Tribunali, in
» quo existunt, et sequuntur ab eisdem
» partibus, remaneant extinctæ, et ter-
» minatæ, et ex nunc ipsæ partes re-
» ciproco, et respectivo modo ab eis-
» dem litibus sese avertunt, et spe-
» cialiter a firma Juris per præfatum
» Capitulum reportafa a Reali Audien-
» tia hujus Regni, sub die decima octa-
» va Augusti millesimo septingentesi-
» mo vigesimo sexto, per acta Domini
» Georgii de Solapiloa pro eo, quod
» opponatur, et contraria sit, stabilito,
» transacto, et convento in ista scri-
» ptura. Item stabilitum, et concorda-
» tum est inter ipsas partes, quod præ-
» fatum Capitulum Ecclesiasticum de
» Sarinena debeat, et obligatum existat
» admittere in proprio horreo, quod
» habet in præfata Villa, totam deci-
» mam spectantem ad eamdem Vil-
» lam, quæque spectat, et spectaverit
» ad prædictum Illmum Dominum Epi-
» scopum prout usque ad præsens in
» more fuit, dante, et absolvente, quo-
» libet anno, recensito Illmo Domino
» Episcopo quinquaginta Reales de Pla-
» ta nuncupatos, ratione affictus, vulgo

„ Arrendamenti, eidem Capitulo. Similiter inter ipsas partes stabilitum, „ et concordatum est, quod ad hoc ut „ contentum, stabilitum, et concordatum in præsenti scriptura perpetuo „ suum debitum sortiatur effectum, „ approbari, et confirmari debeat per „ Bullam Apostolicam, faciendo ad hoc „ opportunum recursum, ac supplicationem Suæ Sanctitati, et hujus „ confirmationis duæ expediantur Bullæ, una pro dicto Illmo Domino „ Episcopo, altera vero pro præfato „ Capitulo Ecclesiastico de Sarinena, „ et expensis satisfiat pro duabus portionibus a dicto Illm̃o Dominio Episcopo, pro una autem, quæ tertia „ erit, a præfato Capitulo Ecclesiastico de Sarinena, et ad observantiam, „ ac adimplementum omnium, et singularum conditionum superius enunciatarum prædictæ patres, et illarum „ quælibet obligarunt, ac hypothecarunt videlicet, recensitus Illm̃us Dominus Episcopus hujus Civitatis, omnia „ bona, omnesque redditus præfatæ „ Mitræ Episcopalis Oscensis, et prædicti Domini Didacus Tarlete, et Josephus Estella quo supra nomine omnia Bona, redditusque omnes dicti „ Capitoli Ecclesiæ Collegiatæ de Sarinena, tam mobilia, quam immobilia, præsentia, et futura, quæ voluerunt hic habere, et habuerunt dictæ partes mobilia videlicet, suis propriis nominibus, et speciebus pro nominatis, et specificatis, et immobilia, ac quælibet ipsorum, per unam, „ duas, vel plures collationes pro collationatis, ac omnia pro specialiter „ obligatis debita forma, ac juxta forum præsentis Regni Aragoniæ. Et „ hanc obligationem voluerunt ipsæ „ partes esse specialem, et operari omnes illos effectus, quos uti tales, secundum jus, vel quocumque alio modo habere, et operari potest. Et pro „ majori firmitate, ac securitate omnium supradictorum recognoverunt, „ et confessæ sunt dictæ partes habere, et possidere, quodque habebant, „ et possidebant dicta bona, per ipsas „ prout supra dictum est generaliter, „ obligata nomine præcario, et constituto una pars pro altera reciproco „ modo, et per illarum jus repræhesentantes, ac voluerunt, quod cum ista „ sola scriptura, absque ulla alia probatione, vel liquidatione possit illa „ ex dictis partibus, cui convenerit ad „ effectum, ut faciat, quod altera ex „ partibus ipsis observet, solvat, et „ adimpleat, totum id, ad quod observandum, solvendum, et adimplendum virtute hujus scripturæ obligata esset coram quocumque Judice „ competente, sibi beneviso depræhendere, et exequutioni tradere, bona immobilia sub Inventario ponere, exequutioni tradere, ac sequestrare bona mobilia partis inobedientis, et „ sententias consequi ad sui favorem „ in quocumque ex dictis processibus, „ et instantiis; Et vigore sententiæ de „ lite pendente, bonis prædictis utatur, „ ac fruatur dicta pars agens usque quo „ integraliter satisfacta fuerit de toto eo, „ quod virtute hujus scripturæ sibi fuerit debitum, una cum expensis propter id quoquomodo factis: Et vigore aliarum sententiarum, dicta bona „ mobilia, et immobilia vendantur debita forma, et prout de jure, et de „ prætio redigendo solvatur dictæ parti agenti quidquid opus fuerit una „ cum expensarum reintegratione, ut „ supra dictum est. Et quod hæc omnia dictæ partes renunciarunt propris Judicibus ordinariis, et localibus judicio illorum, et se se subjicierunt ob eamdem rationem, jurisdictioni quorumcumque Judicum, „ et officialium, tam Ecclesiasticorum, „ quam Sæcularium quorumcumque „ Regnorum, et Dominiorum, et illorum Locumtenentium, et voluerunt, „ quod variari possit judicium unius „ Judicis ad alium, et de una instantia, exequutione, et processu ad aliam, „ et alios, quodque judicium ante unum „ Judicem inchoatum, alterum non impediat, imo possint omnia judicia „ eodem tempore deduci, et debitum „ effectum sortiri, renunciando circa „ omnia supradicta quibusvis foris, juribus, observantiis, et moribus præsentis Regni Aragoniæ, secus disponentibus - Actum fuit in prædicta „ Civitate Oscensi die vigesima octava „ Julii anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Septingentesimo Sexagesimo, præsentibus pro „ testibus vocatis, et rogatis Domino „ Petro de Esquivel Domi Præfecto præfati Illm̃i Domini Episcopi, et Presbytero Portionario Ecclesiæ Parochialis Villæ de Ayerve, ac Francisco „ Parraz Notario Apostolico residentibus in præfata Civitate Oscensi = Firmata est præsens Scriptura in sua „ Originali nota juxta forum præsentis „ Regni Aragoniæ = Si ✠ gnum Mei „ Thomæ Cabrero Notarij de Numero, „ et habitatoris Civitatis Oscensis, qui

" ad prædicta præsens fui. = Sequitur " legalitas Notariorum in forma = Nos " infrascripti Regij Tabelliones de nu- " mero Civitatis Oscensis in Regno Ara- " goniæ fidem facimus, atque testa- " mur cunctis præsentem visuris, Tho- " mam Cabrero, a quo retroscriptum " transactionis, et concordiæ Instru- " mentum legalizatum, et in publi- " cam formam redactum est, et ex " cujus originali, præsens copia extra- " cta fuit, haud solum eo tempore, " quo extraxit, et legalizavit illam, " sed multo antea, et postea semper, " et continuo fuisse; et esse Notarium " de numero, et incolam dictæ Civi- " tatis, probum, et fidelem; atque " propterea tam instrumentis, quam " copiis, sive transumptis ab eo fa- " ctis, et legalizatis, et in publicam " formam, quemadmodum retroscri- " pta, et alia similia, redactis, sem- " per, et ubique, in judicio et extra " adhibitam fuisse, ac posse, et de- " bere adhiberi plenam fidem, et au- " ctoritatem. In cujus rei testimonium " præsentem facimus, atque subcribi- " mus in præfata Civitate Oscæ die " XVIII. Decembris MDCCLX. = In te- " stimonium veritatis Antonius Cutro " Loco ✠ Signi = In testimonium veri- " ritatis Antonius Lopez, et Cabrero = " Loco ✠ Signi. =

Preces porrectæ pro confirmatione, et approbatione superioris transactionis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti, transactionem, seu concordiam hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Transactio hucusque relata, Pontifex Apostolica auctoritate confirmat, et approbat.

§. 3. Nos igitur, ipsos exponentes, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum, rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad quos supplicem libellum Nobis porrectum remisimus, qui votum dilecti filii Nostri, Nicolai S. R. E. prædictæ presbyteri Cardinalis Antonelli nuncupati, ad hujusmodi negotium examinandum ab eadem Cardinalium Congregatione deputati, perpenderunt, consilio, præinsertam concordiam, sive transactionem inter ipsum Antonium Episcopum, et Capitulum, Priorem, et Portionarios hujusmodi initam, confectumque ea super re instrumentum, cum pactis, et conditionibus superius expressis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium (citra tamen ulla approbatione cujuscumque judicii, vel sententiæ in Tribunali laico a partibus prædictis supra earumdem decimarum exactionem reportatæ) approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Cathedralis, et Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Martii Millesimo septingentesimo, sexagesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 18 Martii 1761. Ann. tertio.

## CXCIV.

Ex Conciliorum sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus interdictum esse, eidem Pastori plures Ecclesias conferre, significat S. R. E. Cardinali ex Ducibus Bavariæ, cui licet tres alios Episcopatus concrediti essent, Coloniensis, et Monasteriensis Episcopatuum collationem postulaverat.

Dilecto Filio Nostro Joanni Tehodoro Tituli S. Mariæ in Aracœli Presbytero S. R. E. Cardinali ex Ducibus Bavariæ.

Clemens PP. XIII.

Dilectæ Fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De sequuta Clementis Augusti Coloniensis Archiepiscopi morte condolet cum Card. Theodoro illius Fratre.

§. 1. Si tantopere doles interitum Clementis Augusti Coloniensis Archiepiscopi, qui natura, et sanguine tuus erat Frater, Nos quoque vehementer doluimus; talis enim in Christi charitate, et in vinculo pacis apud Nos censebatur: quamobrem vix accepto inexpectatæ hujus mortis nuncio, Deum in sacrificiis Nostris enixe oravimus, ut tantæ villicationis, tantique oneris, quod impositum habebat, distinctissimam rationem daturus, indulgentiam, et pacem inveniret.

Ab Ecclesiae sanctionibus prohiberi significat, ne novo provideatur Episcopatu qui alterius, provisionem jam antea obtinuerat.

§. 2. Illud autem accedit dolori Nostro, et acerbiorem facit, quod Bavaricæ Domus merita præclarissima in Catholicam Religionem intuentes, nihilominus Religione ipsa suadente, desideriis tuis annuere, et quam postulasti facultatem, ad Coloniensem, et Monasteriensem Ecclesias assequendas, impertiri prohibeamur: obstant enim Summorum Pontificium, et Conciliorum sanctiones, Tibique potissimum, cui tres alii Episcopatus concrediti sunt; Clementis XII. peculiare decretum, cui ex unanimi consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Nos inhære debuimus, ne multiplicatis Gregibus, Pastoris pabulum, et præsentia deesset, cum aliquando vix uni sufficiat. Cæterum illud Tibi presuasum volumus, Nos nihil facere magis, quam spectatissimam Domum Tuam, nihil habere jucundius, quam ejus in Apostolicam Sedem eximiam pietatem, et observantiam recordari, nihil demum cupere ardentius, quam, timore Dei id permittente, posse Tibi gratificari, in cujus voluntatis pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 24 Mart. 1761 Ann. III.

## CXCV.

Pontificium auxilium promittit Ordinis Hierosolymitani Magno Magistro, contra Turcas, navali apparatu Melitensem Insulam minitantes, Christianorumque Regum adjutrices copias provocaturum spondet.

*Sedulitas hujus Pontificis, pro Christianœ Reipublicœ bono, demonstratur constantissime ubi se prœbuit occasio. Favore siquidem Christifidelium, in Germanicis regionibus degentium auxilium imploravit Francorum Regis, et electi Romanorum Imperatoris per epistolas relatas Tom. I. sub. num. XIX, et XX. Pro Principe Hasso Cassellano, ob professam Catholicam Religionem divexato nimis, protectionem sollicitavit, et prœlaudati electi Romanorum Imperatoris, et Conjugis illius pientissimœ Mariœ Theresiœ, et Hispaniarum Regis, ut videre est in Epistolis relatis eod. Tom. I. num. XLV, CXIX, CXX, et CXXXII. Pro Christifidelibus in Civitate Hierosolymarum a Grœcis schismaticis divexatis, sublevandis, prœces porrexit Catholicis universœ Europœ Principibus, sicuti demonstrant Epistolœ insertœ in eod. Tom. I. num. LXXVI, et LXXVIII, ubi cœterœ aliœ referuntur. Ad removendas vero innovationes Catholicœ Religioni exitiosas in Curlandiœ Ducatu, et Illustrem Poloniœ Regem, ejusque Confessarium, et ipsum Curlandiœ Ducem; tandem Gnesnensem Archiepiscopum, et Livoniensem Episcopum est adhortus, ceu demonstrant Epistolœ in dict. Tom. I. num. CXXXIII. ad CXXXVII.*

Dilecto Filio Emanueli Pinto Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magno Magistro

Clemens PP. XIII.

Dilecte Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Suum exprimit dolorem pro Navali Turca-

§. 1. Commoti vehementer fuimus primis, quos accepimus Nunciis de na-

rum apparatu contra Melitensem Insulam.

vali Turcarum apparatu ad Insulam Vestram adoriendam, sed literæ Tuæ, quibus id confirmabatur, incredibili Nos mœrore affecerunt, considerantes tam grave periculum in quo Tuus Ordo, Apostolicæ huic Sedi devotus, et carus, modo versatur, tum vero indefensa Italiæ littora, conturbatumque Christianæ Reipublicæ statum. Verumtamen ad Miserationis Divinæ bonitatem, sincera Fide, primo confugiendum, ut dirum hoc flagellum, vel a cervicibus nostris avertat, vel hostium nostrorum conatus, potentiæ suæ dextera, conterat: etenim nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Proprium auxilium promittit, idemque spondet provocaturum a Catholicis Regibus.

§. 2. Ad Nos quod spectat, quantum quidem rerum Nostrarum conditio feret ubicumque licuerit, Vobis opitulabimur quemadmodum a Dilecto Filio Bajulivo, de Bretevil Oratore Tuo diligentissimo, latius intelliges: literas insuper quantum possumus efficaces scribimus ad Catholicos Reges, ne Vobis in præsenti discrimine desint. Illud autem dolemus, quod officia Nostra in ea incidunt infælicissima tempora, quibus eorum nonnulli diuturno acerbissimo bello impliciti sunt, æraria exhausta, desolatæ Provinciæ, populus imminutus: interea nihil melius prudentiusque agi per Te potest, quam ea omnia sedulo comparare, quæ ad Insulæ istius defensam maxime sunt necessaria.

Per utilem fore designat navis restitutionem, ex cujus captione tanta Bizantii orta est iracundia.

§. 3. Verum si hæc erumpentis incendii flamma, magni alicujus Regis interventu extingui posset, qui eam navim, unde Bizantii orta dicitur tanta iracundia, restituendam in se susciperet, id quidem, si circumspiciantur omnia, Vobis indecorum nemo quispiam arbitraretur, quin esset potius laudabile, hac tenui jactura, Insulam Vestram, ab incursibus, et infensissima obsidione, Italiam vero, nullo sociali fœdere junctam, nec facile jungendam, ad tantam belli vim propulsandam, a præconcepto metu liberavisse: Non minoris enim est gloriæ, hostes vincere, quam improvidum, atque periculosum bellum avertere: quod si eam ob causam exarserit, et Christianum aliquem populum repente oppresserit, qui luctus, quæ conturbatio, ac mœror non derivaret in omnes Christi Sanguinis lavacro mundatos?

Hierosolymitanum Ordinem commendat, eumque si opus sit a juramento absolvit, quod navis restitutioni posset impedimentum parare.

§. 4. Quæ dum scribimus, cave putes, Nos vel de Tua, vel de Militum Tuorum virtute, minus recte sentire: Nam, et Ordinem Vestrum plurimi semper fecimus, et scimus, Vos ita comparatos, ut pro Christi gloria vitam ipsam, et sanguinem profundere, Majorum Vestrorum exemplo, non vereamini: sed ubi miserrima conditio temporum, mæstissima Christianæ Reipublicæ facies, Italiæ salus, atque securitas aliter postulaverint, non videmus cur pericula isthæc, si fieri possit, non sint declinanda, quod si impedimento forent, quominus eam navim restituatis, eæ leges, quibus Sacramento obstricti estis, ob eas, quas innuimus causas, Apostolicæ benignitatis Indulgentiam Vobis offerimus, Tibique, Dilecte Fili, cæterisque commilitonibus Tuis, Apostolicam Benedictionem Nostram peramanter largimur. Datum Romæ apud S. *Mariam* Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiv Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

---

## CXCVI.

Dat. die 25. Mart. 1761 Ann. tertio.

Christianissimi Francorum Regis auxilium implorat, pro Melitensi Ordine ab Turcarum apparatu in Melitensem Insulam minitato.

*Hac de re consule Epistolam, Ordinis Magni Magistro directam, et superiori numero relatam.*

Carissimo in Christo Filio
Nostro Ludovico Francorum Regi
Christianissimo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Filii Noster
salutem, et Apostolicam Benedictionem

Christianissimi Regis laudes exprimit, et de imminenti periculo quo Melitensis Insula a Turcarum navalibus copiis minitatur agit.

§. 1. Christianissimi Regis nomen, a Majoribus Tuis, præclarissimis rebus pro Christi gloria gestis, quæsitum, a Majestate vero Tua, non tam hæreditario jure acceptum, quam Catholicæ Fidei tuendæ studio conservatum, magnam Nos in spem adducit, fore ut Melitensi Ordini, ad quem oppugnandum, ut fertur, maximam Turcæ instruunt classem, præsidium omne Tuum validissimum afferas: ad hoc igitur implorandum, hasce Tibi literas dandas esse censuimus, primum quidem Apostolicæ servitutis Nostræ officio admoniti, tum vero etiam Magni Magistri, ejusque Consilii precibus, et totius Christianæ Reipublicæ desideriis, votisque commoti; diximus autem totius Christianæ Reipublicæ, siquidem non solius Melitensis Ordinis agitur causa, sed omnis Christiani populi, ad cujus defensam ille Nobilissimus Ordo in-

cessanter invigilat, cui Melitæ Insula adversus Turcarum impetum, firmissimum est munimentum: etenim simul ac potentissima illa Nobis adeo infensa, e somno in quo obdormierat, expergefacta fuerit, et Christianum sitire sanguinem rursum cœperit, quid cunctis pertimescendum sit, Majestas Tua, pro insigni prudentia sua facile conjicit.

Ex navis ab Equitibus Hierosolymitanis contra Turcas captæ restitutione, expectanda flagrantis belli extinctio.

§. 2. Lætati vero maxime fuimus, id quod incertis nunciis prius audieramus, verum esse, Te scilicet adniti, ut reddita illa navi, quæ, captivorum seditione facta, in Melitæ portum adducta fuit, hæc belli flamma extingueretur, nihil enim miserrimis hisce temporibus optabilius est, nihil Christianæ Reipublicæ tam diuturno bello defatigatæ utilius, nihil denique Regali nomini Tuo gloriosius: ad Nos quod attinet, auditum hunc, ad ejusmodi motus sedandos, Melitensibus aperire non destitimus, iisdemque Apostolicæ Indulgentiæ benignitatem offerre: verum nisi hoc pacto Turcarum iracundiam placare contigerit, vides quam nenecessarium sit periclitanti Insulæ auxilium, et opem paratissimam esse: Nos quidem quantum rerum Nostrarum angustia feret, opitulari non deerimus, sed et Nostra, et Melitensium Equitum, et Fidelium omnium de patrocinio Tuo summa spes est, summa expectatio, summum desiderium; merces autem tanta erit, quantam cogitare nemo potest; cumulabit enim Deus, cælestis suæ gratiæ donis, et Majestatem Tuam, et Regalem omnem progeniem, largieturque, et Tibi, et inclyto Galliarum Regno prosperitatem omnem, quam ardentissime apprecamur, dum Tibi, Carissime in Christo Fili Noster, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxv. Martii MDCCXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

## CXCVII.

Dat. die 26 Mart. 1761. Ann. Tertio.

Ab Catholico Hispaniarum Rege idem pro Melitensi Insula, et toto Christiano Orbe auxilium implorat contra Turcas.

Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Filii Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Proprio dolore expresso pro tot vulneribus, quibus Christiana Respublica affligitur, novissimos exponit Turcarum conatus contra Melitensem Ordinem, et Catholicum populum.

§. 1. Præsentium temporum calamitatis perturbatum e Christianæ Reipublicæ statum, aliaque Catholicæ Religionis gravissima vulnera intuentes, tanto animi dolore afficimur, ut vitam ipsam quam ducimus, acerbam experiamur: ne quis vero veteribus malis, novæ calamitatis cumulus deesset, ecce tristissimi nuncii, Turcas nimirum, implacabiles Christianæ Fidei hostes, ab eo, in quo abdormierant somno excitatos, nihil nisi bellum expetere, et maximam instruere classem, qua ut ajunt Melitæ Insulam adoriantur; quare non potuimus carissime in Christo Fili Noster, pro maxima, quæ Nobis incumbit totius Christiani populi sollicitudine, non maxime commoveri, tum Melitensis Ordinis causa, qui ad Christiani Populi defensione, institutionis suæ vi, perpetuo militat, tum vero etiam totius Italiæ, ad cujus propemodum oras, si vera sunt, quæ nunciantur, hoc pertinebit incendium.

De cruento condolet bello, quo aliqui Summi Reges distrahuntur, a quo gratulatur exempta esse tum Hispaniarum, tum utriusque Siciliæ Regna.

§. 2. Illud etiam mirum in modum dolorem Nostrum exasperat, quod aliquos regionis Nostræ summos Reges videmus cruentissimo bello distractos, exhausta æraria, Provincias afflictas, plura demum Christianorum millia consumpta. In hoc autem luctuosissimo rerum aspectu, ea Nos unice consolatio sustentat, quod Majestatem Tuam, Tuumque dilectissimum natum, Utriusque Siciliæ Regem, florentissimis rebus uti, Vestraque Regna ab ista belli flamma, non sine magna divini Numinis providentia, illesa fuisse lætamur, quasi Omnipotens Deus, cujus immensa bonitas populum suum numquam derelinquit, Vos, inter ejusmodi acerbissimos Europæ fluctus reservaverit ad Turcarum coercendam audaciam, eorumque conatibus obsistendum.

Catholicum adprecatur Regem, ut Meli-

§. 3. Quamobrem, et munere Nostro impellente, et Melitensium preci-

tensi Ordini, et periclitantibus universæ Italiæ littoribus opportunis et efficacibus auxiliis præsto esse non desinat.

bus permoti, ab insigni pietate Tua, non tam rogamus, quam per viscera misericosdiæ Dei Nostri obtestamur, potentia, opibus, et quibusque aliis præsidiis opportunum esse censueris, Melitensi Ordini, et periclitantibus universæ Italiæ littoribus, quæ Adriacum mare respiciunt, præsto esse ne renuas, nihil enim neque Deo gratius, neque Christianæ Reipublicæ utilius, neque tuo nomini gloriosius efficere poteris; ad quod sanctissimum opus, ut Te excitemus, pluribus verbis opus non erit, novimus enim tuendæ Religionis ardentissimum studium quo incenderis, et non sine erumpentibus præ gaudio lacrymis, recordamur, sæpius Te solitum dicere paratum esse pro Christi fide, ejusque Sanctissima Sponsa Ecclesia, sanguinem ipsum profundere. Benedictus Deus, Majestatis Tuæ personam, florentissimam sobolem, opulentissima Regna servet semper, ac muniat, detque Nobis famulis suis, misericordiam ejus implorantibus, inimicorum suorum feritatem, Te adjuvante, sic depressam aspicere, ut eum incessabili gratiarum actione laudemus: Amen, Amen: atque interea Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Maria Majorem sum Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 27. Mart. 1761 Pont. Ann. III.

## CXCVIII.

De eodem superius relato Argumento, Illustri Utriusque Siciliæ Regi Literas mittit, auxiliumque contra Turcas postulatur.

Carissimo in Christo Filio Nostro
Ferdinando
Utriusque Siciliæ Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

De Navali Turcarum apparatu, minisque contra Melitensem Insulam agit, Christianorumque Regum postulat auxilium ad removenda imminentia pericula.

§. 1. In tantis quibus undique affligimur malis illud unum deerat, ut Turcæ adversus Christifideles moverent arma: sed et hæc Bizantii, magno sumptu apparari, et apparamentum vehementer urgeri ad Melitæ Insulam oppugnandam, pluribus ex nunciis accipimus. Verumtamen si vult Deus, Nos Apostolicæ servitutis Nostræ tempore, hanc quoque ærumnam pati, fiat voluntas ejus, et nomen benedicatur in sæcula: non idcirco tamen despondebibus animum, sed ardentissima Fide clamabimus = *exurge Domine, et reminiscere miserationum tuarum, quæ a sæculo sunt; exurge Deus Isdrael, et libera Nos ex angustiis Nostris* =: dein vero conversis oculis ad carissimos in Christo Filios Nostros, Catholici nominis Reges, eorum præsidium, et opem implorabimus, Melitensi Ordini, et Christianæ Reipublicæ in præsenti periculo ne desint: eos vero potissimum compellabimus, quos non sine magno Divinæ providentiæ consilio, procella non attigit acerbissimi belli, quo aliquibus ab hinc annis, Europa concutitur, qui propterea florentissimis dominantur Imperiis, populo, commeatibus, pecunia præstantibus, quasi eos Dominus servaverit integros ad Turcarum impetus coercendos; loquimur, uti vides, de sapientissimo Parente Majestatis Tuæ, cui hanc ob causam dedimus literas charitatis plenissimas, loquimur de Te ipso, cui duo ista tradidit fælilicissima Italiæ Regna; ad Vos enim præcipue pertinet non tam Melitæ Insulæ, quam totius Italiæ, et Christianæ Reipublicæ securitati prospicere.

Quænam futura sint damna exponit, quoties Turcarum impetus viribus cunctis minime repellatur.

§. 2. Quid enim timendum non est ubi præpotens ila natio, dominandi cupidissima, rursulm tractaverit arma, et Christiani sanguinis ardeat siti? Numquid solius Melitæ oppugnatione, quam Deus avertat contenti erunt? An non potius, sublato firmissimo hoc propugnaculo, marittimas Italiæ oras, ubique ferme indefensas, molestissimis non infestabunt incursibus? An non Christianam gentem, ubicumque poterunt, crudeliter non oppriment? Res ipsa per se ita loquitur, ut pluribus explicari non egeat: discat igitur, carissime Fili, barbara illa gens, Christiano cultui infensissima, Regalem nomem Tuum, vel a teneris annis vereri: Tu vero, si opus erit, Regni Tui exordia, gloriosissimis pro Christi gloria partis, adorna. Dextera Domini faciat virtutem, et Regis Adolescentuli brachio *ponat eos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti*, sitque auspicii Nostri pignus, Apostolica Benedictio, quam Tibi, carissime in Christo Fili Noster, amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Maria Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 28 Martii 1761 Anno III.

## CXCIX.

De eodem argumento agit cum Illustri Sardiniæ Rege, cujus etiam sollicitat auxilium contra imminens Turcarum periculum.

Carissimo in Christo Filio Nostro Emanueli Sardiniæ Regi Illustri

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De dissidiorum causa inter Turcas, et Melitensem Ordine agit, deque imminenti periculo quod Ordini ipsi, et Universæ imminet Christianæ Republicæ.

§. 1. Ubi allatum ad Nos fuit, magnum Turcarum Dominum, adversus Equites Hjerosolymitanos, a quibus ejus Navis recepta, quæ captivorum seditione facta, in eorum portum adducta est, per summam injuriam lacessitum fuisse præsefert, atrox bellum meditari, et comparare magnam classem, qua Melitam Insulam aggrediatur, et opprimat, statim pro rei gravitate, et periculi magnitudine vehementer perturbati sumus, neque tamen hunc animi Nostri mœrorem, atque ægritudinem ad Christianos quosque Principes illico deferre existimavimus: sed postquam iteratis Nunciis id ipsum undique confirmari audivimus, non possumus modo, quin et Apostolici muneris charitate impellente, et Melitensium precibus excitati, omnes magnopere obsecremus, ac moneamus, ut Nobiscum condescendant ad puppim, impendentem procellam circumspiciant, et in discriminis societate conjungant studia, opes, consilia sua, ad avertendum hoc tantum malum.

Sardiniæ Regis Religionem commendat, et necessitatem exprimit, qua præmitur Turcarum impetum removendi pro totius Italiæ securitate.

§. 2. Quod si omnes Christianos Principes in hac causa, quæ religionis, et fidei causa est, commoveri decet, intelligis, carissime in Christo Fili Noster, ad Te potissimum pertinere, cujus prudentia, pietas, et magnitudo animi, tanta est, ut quominus patrocinium suscipias Melitensis Ordinis ad communem Christiani populi defensam perpetuo merentis, et universæ Italiæ, cujus Regnum istud Tuum, pulcherimum est ornamentum, recusare non possis: universam enim Italiam peti, atque opprimi posse, quis non videt, ubi fortissimum illud propugnaculum dejectum foret, et Christianorum clades ubique intentari, si efferatissima gens armis pertractandis rursum assuescat, quin et in hujus periculi magnam partem ipsa quoque Sardinia Tua veniret, exposita nimirum ad barbaras quasque incursiones, et omnes subitos Turcarum descensus; dum igitur ad hoc piissimum opus Majestatem Tuam, quantum possumus in Domino hortamur, et obsecramus, Apostolicam Benedictionem Nostram, Tibi, carissime in Christo Fili Noster, et universæ soboli, amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 31 Mart. 1761 Ann. III.

## CC.

Privilegia alias a Summis Pontificibus concessa Ordini Monachorum S. Basilii Magni, et præsertim quoad Altare privatum in tenimentis, prediis, villis ad dictum Ordinem spectantibus, confirmantur, et ampliantur, privataque Oratoria Monachorum, ab Ordinariorum visitatione eximuntur, et visitationi Abbatis Generalis, seu Visitatorum Generalium subijciuntur.

*Literæ Apostolicæ Alexandri III. Anni 1174 super prima concessione extruendi altaria privata favore hujus Ordinis, itemque aliæ Gregorii XIII. Anni 1574 quibus privilegia, indulta, immunitates, prærogativæ, exemptiones, et gratiæ a prædecessoribus Pontificibus concessæ confirmantur, et innovantur, non reperiuntur impressæ in Bullario Mainardi. Eremitorii del Tardon erectionem, in Monasterium hujus Ordinis, ejusque, et aliorum Monasteriorum in Regnis Hispanicis aggregationem, cum concessione privilegiorum, probavit prælaudatus Gregorius XIII. per Const. Ann. 1577 Junii 24. Monachos Ordinis prædicti in unam Congregationem, et sub regimine unius Abbatis, cum privilegiorum, et gratiarum elargitione, pro Ordinis ejusdem reformatione, reduxit Pontifex idem constit. altera Anni 1579. Nov. 1. quæ in Bullario Mainardi perleguntur. Ad Ordinem predictum referuntur Constit. Clementis XIII. jam relatæ in hac continuatione, nempe Tom. I. sub num. VI. XXVII. itemque hoc Tom. II. sub num. CLXXXII.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Recensentur privilegia a Summis Ponti-

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Alexander Aguado Abbas

ficibus concessa huic Ordini.

Generalis Monachorum Ordinis Sancti Basilij Magni, quod inter cætera privilegia a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, eidem Ordini, illiusque Superioribus, et Monachis concessa, indultum fuit construendi in quibuscumque locis tenimentorum suorum; seu prædiorum, aut villarum ad usum suum, et hominum ipsorum, ut ex concessione fel. rec. Alexandri Papæ III. Prædecessoris itidem Nostri, per suas sub Plumbo MCLXXIV. expeditas literas satis deduci videtur; subinde rec: me: Gregorius Papa XIII. Prædecessor quoque Noster Anno MDLXXIV. per alias suas incipientes = Creditam = cum dicti Ordinis privilegia, indulta, immunitates, prærogativæ, exemptiones, et aliæ gratiæ hujusmodi, temporum injuria, vel ignota, vel deperdita essent, vel facile reperiri nequivissent, neque Monachis dicti Ordinis innotuissent, nec ab eis sciri potuissent, ideo prædicti Ordinis Monasteriis, ac aliis locis ab eis dependentibus, illorumque Abbatibus, Prælatis, Monachis, Conversis, et Oblatis, aliisque dictorum Monasteriorum Religiosis, et personis, omnia, et singula privilegia, indulta, immunitates, prærogativas, exemptiones, libertates, gratias, et indulgentias Congregationis Montis Casinen Ordinis Sancti Benedicti, illiusque personis, ac locis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores tunc suos, nunc pariter Nostros, et Sedem Apostolicam; aut alias in genere, vel in specie perpetuo concessit, ac concessa fuisse, et fore decrevit; Postmodum vero post celebrationem Concilii Tridentini, per alias suas itidem sub Plumbo Anno MDLXXIX. Kal. Novembris expeditas literas, quarum initium est = Benedicti = omnia privilegia prædicta, memoratæ Congregationi Cassinensi concessa, quæ in usu existerent, eidem Ordini Sancti Basilii confirmavit, et alias prout in dictis literis, quorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressos, et insertos haberi volumus, prout uberius dicitur contineri.

Inter privilegia antiquitus concessa illud accensebatur Oratorii privati in domibus ruralibus ac prædi s, et villis ad Monasteria hujus Ordinis pertinentibus, cujus privilegii confirmatio, et ampliatio postulatur.

§. 2: Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet dictus Ordo Sancti Basilij, privilegio prædicto erigendi Oratorium privatum in Domibus ruralibus, ac prædiis, et villis ad quæcumque Monasteria ipsius Ordinis spectantibus gaudeat, in quo Monachus in dictis locis pro tempore existens, seu ad illorum curam, et administrationem deputatus, electusque, quam alii Monachi ejusdem Ordinis in Sacro Presbyteratus Ordine constituti, in dictis domibus ruralibus rusticationis causa moram trahunt, aut ratione itineris de uno ad aliud Monasterium inibi accedere, hospitari, et commorari possunt, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare solent, et pergunt, nihilominus ipse Alexander Abbas, ad tollendas quascumque ambiguitates, quæ super præmisso indulto oriri possunt, indultum prædictum per Nos, non solum confirmari, verum etiam renovari, aut de novo concedi, et ad alias similes domus rurales, quas Abbates dicti Ordinis cujuscumque Provinciæ, quocumque modo huc usque acquirere potuerunt, seu acquirere poterunt, ne Monachi ad illorum curam deputati, sub prætextu audiendi, vel sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandi, inde vagentur, extendi summopere desideret.

Privilegium Oratorii privati, ab Alexandro III. jam elargitum, confirmatur, illudque extenditur ad quæcumque Oratoria, post dictam concessionem constructa, et deinde construenda.

§. 3. Nos piis ejusdem Alexandri Abbatis Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovismodo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, supradictum privilegium, a memorato Alexandro Prædecessore, Abbatibus, et Monachis dicti Ordinis Sancti Basilij Magni construendi, retinendique privata Oratoria in quibusvis tenimentis, prædiis, possessionibus, et villis, ad Monasteria dicti Ordinis spectantibus, in quibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Abbates, et Monachi Ordinis prædicti in præsentia suorum laicorum, aliorumque ipsius Ordinis professorum ad bonorum prædictorum custodiam semper existentium celebrare possunt, concessum, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, aut innovamus, seu de novo concedimus, nec non prilegium prædictum, ad alia Oratoria per Abbates, et Monachos prædicti Ordinis muro extructa, seu extruenda in aliis domibus quorumcumque aliorum prædiorum, seu tenimentorum, et possessionum, ac villarum ad quæcumque Monasteria, et Provincias ejusdem Ornis spectantia, post memoratam concessionem emptorum, et acquisitorum, ac quæ deinceps emi, et acquiri possunt in futurum, sine ullo tamen jurium Parochialium præjudicio, auctoritate, et tenore præsentis extendimus, et ampliamus.

Oratoria privata hujus Ordinis ab Ordinariorum visitatione eximuntur, et illorum visitandorum facultas tribuitur, vel Abbati Generali, vel visitatoribus Generalibus.

§. 4. Insuper dicta Oratoria in quibusvis ex dictis prædiis, possessionibus, tenimentis, at villis ad Ordinem, Provincias, et Monasteria hujusmodi spectantibus existentia, a quacumque Ordinarii locorum, quacumque auctoritate, superioritate, et dignitate fungentes visitatione, et subjectione, auctoritate, et tenore præsentis, eximimus, et liberamus, ac exempta, et libera esse decernimus, volumus, et declaramus; ea tamen lege, ut quoad visitationem per locorum Ordinarios super illorum fabrica, ornatu, et supellectili sacra facienda, satis sit, et sufficiat, quod dicta Oratoria, et illorum Altaria visitentur, et approbentur, ac visitari, et approbari debeant, sive ab Abbate Generali, sive a Visitatoribus Generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, onerata super his eorum conscientia.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Ordini prædicto, illiusque Abbatibus, et Monachis plenissime suffragari, et ab illis ad quos spectat, et protempore, quandocumque spectabit inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die xxxi. Martii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

---

## CCI.

Dat. die 4 April. 1761 Ann. III.

Imperatricis, atque Reginæ Mariæ Theresiæ, auxilium implorat pro Melitensi Ordine, a navali Turcarum apparatu minitati, sicuti ab Universis Catholicis Regibus imploraverat.

*Vide de hoc eodem argumento Literas hic supra relatas sub Num. CXCV. CXCVI. CXCVII. CXCVIII, et CXCIX.*

Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ, Hungariæ Reginæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ Reginæ Illustri, in Romanorum Imperatricem electæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De Navali Turcarum apparatu certiorem facit Imperatricem Reginam.

§. 1. Non latet Majestatem Tuam, quid Magnus Turcarum Dominus moliatur adversus Hierosolymitanos Equites, a quibus præsefert fuisse non ita pridem per summam injuriam lacessitum: neque verò dubitamus quin statim, pro Tua singulari sapientia, futuros omnes periculorum casus circumspexeris, et quid ad eos avertendos optimum factu sit, diligenter cogitaveris, præsertim eum, quo tanta Barbarorum indignatio, si suas aliquando vires collegerit, eruptura sit, valde timendum esse videatur. Nos primum certo (quæ Sacerdotum arma esse debent) innixi genibus, multas ad Deum Opt: Max: lacrymas, precesque effundimus, ac ferventer obtestati sumus, ut, ne ad tot, tantasque calamitates, quibus quotidie conflictamur, hoc tantum mali patiatur accedere, quo Nos omnino vivere pœniteat. Deinde ad Catholicos Principes, et Reges literas dedimus, quibus vehementer hortati sumus, ut Ordinem illum de Christiana Republica egregie meritum, hoc præsertim durissimo tempore, maximisque difficultatibus, juvandum tuendumque susciperent, speramusque, hanc commendationem Nostram, Deo ipso, cujus in manu corda Principum sunt, auxiliante, eos quos maxime cupimus exitus habituram.

Imperatricis Reginæ laudat Religionem, ejusque tum pro Melitensi Ordine, tum pro Catholica fide auxilium contra Turcas provocat.

§. 2. Intelligimus, autem quam minus necesse sit hortari Majestatem Tuam, ut in hanc rem studium, opem, diligentiam adhibeas: quid est enim Te, carissima in Christo Filia Nostra, ad ea, quæ cum Catholicæ Fidei salute, et Dignitate conjuncta sunt, peragenda, vel prudentius, vel religiosius, vel omnino ardentius? Sed ipsa Tua pietas singularis faciet, ut Christi Jesu Vicarii vocem lubentissime audias, hortantis quidem, ac rogantis, ut non tam Melitensi Ordini, quam universæ Christianæ Reipublicæ in tanto discrimine præsidium omne Tuum solertissime conferas. Hoc Te, carissima in Christo Filia Nostra, prolixe, studioseque facturam, suavissima tum Apostolici nominis, quo decorata fuisti, tum multorum Tuorum, et maximorum in Catholicam Religionem meritorum recordatione, non dubitamus. Nihil enim est tantum, quod non Christiana Respublica ab Austriaca virtute, quæ adversus Turcarum impetus, sempiternam sibi peperit gloriam, perfici, atque obtineri posse arbitretur, atque interea Majestati Tuæ, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 7. April. 1761 Ann. tertio.

## CCII

Novum in Civitate Faventina erectum Hospitale, nec non illius Aromatariam, administrationi, et curæ Religiosorum virorum Ordinis S. Joannis de Deo concedit, nonnullasque regulas præscribit pro majori, pauperum infirmorum, tam in dicto Hospitali, quam in Faventina Civitate domi egrotantium, levamine.

Clemens XIII.

Venerabilis Frater Salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Referuntur incomoda queis antiquitus afficiebantur pauperes infirmi tam Civitatis Faventinæ, quam illius territorii.

§. 1. Exponi nobis nuper fecisti quod alias cum in ista Civitate Nostra Faventina duo quædam, nempe unum sub invocatione S. Antonii Abbatis, alias S. Jacobi Incurabilium, et reliquum Sancti Nevolonis, alias S. Mariæ de Misericordia rispective nuncupata, extructa reperiantur, et nunc quoque existant Nosocomia, seu Hospitalia pro pauperibus infirmis utriusque sexus excipiendis, alendis, curandisque destinata, sed utraque situ incomoda, ædificiis angusta, et congruis redditibus destituta, ut pauperes ægrotantes in eis quandocumque, vel nullo modo recipi, vel recepti substentari, apte curari, opportunoque tempore dimitti, retinerique nequirent, tantis pauperum angustiis vehementer commotus, eisdemque pro viribus consulere summopere exoptans, novum satis amplum Nosocomium, seu Hospitale, pro utriusque sexus, tam ex Civitate Faventina prædicta, quam ex illius Diœcesi excipiendis, et curandis infirmis accomodatum, a fundamentis excitare constituens, cui quidem prædicta duo Nosocomia, seu Hospitalia, una cum eorum fructibus, juribus, et provenientiis universis unirentur, et incorporarentur, quodque illis subrogatum in omnibus censeretur.

Ut prædictis incomodis novi amplioris Hospitalis constructione prospiceretur San. Mem. Benedictus XIV., Arcem ad Apostolicam Cameram spectantem, adnexaque ædificia concessit.

§. 2. Quapropter a felicis recordationis Benedicto XIV Predecessore Nostro, prædictæ Civitatis Arcem, pro jure ad Cameram tunc suam, nunc Nostram Apostolicam spectantem, cum suis ædificiis, et adnexa area petens, ac prædictis duobus Hospitalibus, seu Nosocomiis hujusmodi, Præsidentibus, et Deputatis tunc actu existentibus, pium hujusmodi opus, conjunctis studiis urgentibus, ad præcisum effectum tamen construendi inibi novum Hospitale, in pauperum infirmorum beneficium, comodumque, et utilitatem benigne concedi obtinueras, sub certis tamen legibus, conditionibus, et reservationibus, prout in Chirographo ejusdem Benedicti XIV. manu prædicta stipulato, bon. mem. Sylvio, dum vixit S. R. E. Presbytero Cardinali Valenti nuncupato, ac ejusdem S. R. E. Camerario tunc comisso, ut confecto desuper instrumento uberius dicitur contineri.

Ut novi erigendi Hospitalis necessitatibus occurreret, opportuna redditum dotatione proprovisit prælaudatus Benedictus XIV.

§. 3. Verum quamvis concessæ Arcis, adnexique agri amplitudo, situs, aerisque salubritas, destinato operi videretur accomodatissima, deficientibus tamen aliis mediis ad tollerandos, tanto operi absolvendo necessarios sumptus, in irritum cessissent inita consilia, nisi idem Benedictus prædecessor, propter factam novo Hospitali erigendo unionem, adnexionem, et incorporationem prædictorum duorum veterum Hospitalium una cum suis ædificiis, bonis stabilibus, juribus, redditibus, quibus singulari in pauperes beneficentia ipsius operis promovendi, ac perficiendi curam in se benigne suscipiens, Fraternitati tuæ enixis precibus expostulanti, per quasdam suas in simili forma Brevis die 31 Januarii 1754 expeditas Literas ampliores concessisset facultates, quarum vigore

non solum omnia, et singula bona, jura, et actiones, etiam directi dominii, nec non quæcumque bona mobilia, et supellectilia sacra, et profana ad dicta duo Nosocomia tunc quomodolibet spectantia, et quæ forsan inde obvenire seu spectare potuissent, aut pertinere, verum etiam omnia, et singula bona, capitalia, jura, et actiones, aliaque similia ad quædam Hospitalia, seu parva Hospitalia, quæ in Diœcesi Faventina prædicta in agris sparsa existebant, nec non certa bona, et capitalia ad aliqua pia loca, et nonullas Confraternitates in Diœcesi Faventina prædicta canonice erecta, et erectas, spectantia, et pertinentia, sub certis, modo, forma, et conditionibus in predictis literis contentis, et expressis, novo Nosocomio, seu Hospitali sic construendo applicares, et appropriares, aliaque in præmissis vendere, et alienare, et agere valeres, et alias prout in prædictis Benedicti prædecessoris literis hujusmodi continentur, tenoris sequentis videlicet » Venerabili Fratri Episcopo Faventino. Benedictus Papa XIV. Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem. Exponi Nobis nuper fecisti, quod alias tu considerans, quod unum nunc sub Sancti Antonii Abbatis, alias vero S. Jacobi Incurabilium, et reliquum sub S. Nevolonis, olim vero Sanctæ Mariæ de Misericordia respective invocationibus in ista Civitate Nostra Faventina erecta Nosocomia, seu Hospitalia pro pauperibus infirmis excipiendis, curandisque ab antiquo fundata, adeo angusta, et insalubri in loco posita, ac necessaria reddituum, proventuumque quantitate ita dextituta existant, et reperiantur, ut pauperes Civitatis prædictæ infirmi, in illis vel recipi, vel recepti congrue ali, et curari minime possint, auditis tamen prius, tum existentibus dictorum Hospitalium Administratoribus, seu Deputatis, ut pauperum infirmorum necessitatibus, quæ eorum animabus perniciem pariter inferre possunt, consulere valeres, unum, vice dictorum duorum Hospitalium, satis amplum Hospitale in loco magis aperto, et salubri ex integro, funditusque construere constituisti, deficientibus tamen mediis necessariis; unde locum votis tuis, et pio huic tuo desiderio aptum comparare posses, Nobis supplicari fecisti, ut pervetustam memoratæ Civitatis Arcem, in aliquibus ejus partibus ruinam minitantem, et ad usum modernorum muniminum minime accomodatam, nec ad illa facienda aptam,

Tenor Literarum San. Mem. Benedicti XIV. dici 31 Januarii 1754.

quæ in extrema hujusmodi Civitatis parte, ac in loco salubris aeris posita remanet, in Emphytheusim perpetuam, sub annuo Canone triginta scutorum monetæ Romanæ, dilecto Filio moderno ipsius Præfecto persolvendo, ad hoc ut infra Arcis prædictæ limites, novum construeretur Hospitale, dictis modernis, et pro tempore existentibus Administratoribus, seu Deputatis, sub certis modo, et forma, sive pactis, et conditionibus tunc expressis concedere dignaremur. Nos autem attendentes, etiam alibi a Romanis Pontificibus prædecessoris Nostris similes Arces, quæ Urbium securitati prodesse amplius non valebant, in publicum usum conversas fuisse, per Nostrum peculiare Chirographum Manu Nostra signatum, dilecto filio Nostro Sylvio S. R. E. Presbytero Cardinali Valenti nuncupato, ejusdem S. R. E. Camerario comisimus, et mandavimus, ut præmissa, præstitaque, ac recepta tam Fraternitatis tuæ, quam dictorum utriusque Hospitalis ejusmodi Administratorum, seu Deputatorum, vel Præsidentium cautione de solvendo eidem moderno ipsius Arcis Præfecto supra expressam Annuam triginta scutorum, monetæ prædictæ summam, absque ulla alteratione tituli honorifici tantum Præfecturæ dictæ Arcis; ac salvo quocumque ejusdem Arcis Nostro, et Cameræ Nostræ Apostolicæ supremo directoque Dominio, ac proprietate, eamdem Arcem cum suis ædificiis, et agro ei adnexo, quantitatis unius tornaturæ, et septem circiter perticarum mensuræ istarum partium, prædictis duobus Hospitalibus, et pro eis Fraternitati tuæ, ac prædictis utriusque Hospitalis Præsidentibus, seu Administratoribus, vel Deputatis, ad præmissum tamen effectum, comodum, utilitatemque, ea tamen adjecta lege, ut singulis annis in vigilia Festivitatis Natalitiæ Sancti Petri, et Pauli Apostolorum, libræ tres ceræ albæ elaboratæ pro recognitione supremi, directique Nostri, et Cameræ prædictæ dominii, in eadem Camera per certum procuratorem offerri debeant, aliisque conditionibus, in similibus concessionibus apponi solitis, in Emphytheusim perpetuam, auctoritate Nostra Apostolica concederet, prout in dicto Chirographo latius, pleniusque continetur, cujus quidem Chirographi vigore, dictus Sylvius Cardinalis, et Camerarius, receptis prius prædictis cautionibus, seu obligationibus, adimpletisque omnibus in ipso

„ Chirographo contentis, et expressis, „ supradictam Arcem, cum ædificiis, „ et agro prædictis, eisdem Administratoribus, seu Deputatis, et Præsidentibus, ad præmissum effectum concessit, et alias prout in Instrumento „ ea super re, per acta dilecti quoque filii Cæsaris Rodulphi, ejusdem Cameræ Secretarii, et Cancellarii die 21 Januarii Anni 1758 confecto plenius dicitur contineri. Quoniam autem, sicut tu Nobis exponi nuper fecisti, sollicitudinis tuæ studia, ad positum opus „ jam aggrediendum, illudque perficiendum converteres, urgentibus præsertim nonnullis recentibus casibus, „ quorum miserabili eventu ex animo „ commotus, gravique mœrore affectus „ fuisti, sed ut tuum desiderium explere valeas, complura valde necessaria „ tibi desunt, unde novi ædificii constructio, et omnimoda absolutio, et „ debita infirmorum substentatio adjuvari possint. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportune provvidere, et quasdam facultates tibi concedere, et ut „ infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui illius vices, licet immeriti, gerimus „ in Terris, qui charitatis, et misericordiæ officia in pauperes, et infirmos „ collata, tamquam sibimet ipsi tributa comendat, æternisque præmiis remuneratur, et præmissorum consideratione persuasum habentes, ejusmodi novi, ampliqne Hospitalis in ista „ Civitate erectionem, ad evitanda spiritualia, non minus, quam temporalia pauperum infirmorum damna necessariam, et ad promovenda Christianæ charitatis opera utilissimam fore; „ ideoque Fraternitatem tuam in laudabili proposito hujusmodi confovere, ac „ specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excomunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, „ censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa „ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium „ dumtaxat consequendum, harum serie „ absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictum Chirographum Nostrum, cum omnibus, et singulis in „ eo contentis, et expressis, nec non „ prædictæ Arcis concessionem, vigore facultatis per dictum Chirographum „ Nostrum, eidem Sylvio Cardinali, et „ Camerario attributæ jam factam, instrumentunque ea super re confectum, „ omniaque, et singula inde sequuta, „ et ad invicem respective conventa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium „ approbamus, et confirmamus, illisque „ inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti etiam substantiales „ defectus, si qui desuper intervenerint, „ supplemus, et sanamus; ac Fraternitati tuæ per præsentes committimus, „ et mandamus, ut assistentibus tibi „ nonullis probis, spectabilibusque viris „ tum Ecclesiasticis, tum Nobilibus sæcularibus Civitatis prædictæ, juxta datam tibi a Domino prudentiam, eligendis, nominandis, et assumendis, ac „ etiam pro casuum, et temporum opportunitate variandis, et denuo eligendis, novum in ipsa Civitate, et in prædictæ Arcis loco, Hospitale, pro pauperibus infirmis cujuscumque qualitatis, tam ex dicta Civitate, quam ex Faventina Diœcesi, et præsertim ex iis „ locis Diœcesis hujusmodi, ex quibus „ infrascripta subsidia, in memorati Hospitalis beneficium provenient, excipiendis, et curandis, idoneum, cum „ suis Mansionibus, Officinis, aliisque „ Ædificiis necessariis pro inservientium, et Ministrorum habitatione, et „ rerum, ac supellectilium custodia satis aptum, ac in ipso Hospitali unam „ Cappellam, seu Altare, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum „ asservetur, et Sacrum Infirmorum „ Oleum sub decenti, et debita custodia „ retineatur, ita tamen ut Cyborii Sanctissimi Sacramenti, ac Olei hujusmodi claves, per Sacerdotem ejusdem Hospitalis sic erigendi, per Te eligendum „ retineantur, et ante Cyborium prædictum, Lampas semper accensa diu, noctuque retineatur, et quatenus compereris, unum dumtaxat Altare in dicto Hospitali minime sufficiens esse, „ plura Altaria, in quibus Sacrosanctum „ Missæ Sacrificium pro spirituali infirmorum, ac ministrorum, illisque inservientium, aliorumque, quos inibi „ adesse contigerit, consolatione, celebrari possit, auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium erigas, instituas, et concedas, ac eidem Hospitali, per Te vigore earumdem præsentium, ut petitur, erigendo, et instituendo, non solum omnes annuos „ redditus, fructus, proventus, fundos, „ capitalia, bona, jura, credita, et actiones, etiam directi dominii, aliaque inde provenientia, nec non exigendi, „ quascumque etiam annuas, et tractum

» successivum habentes præstationes, ab » piis legatis, etiam nunc minime purificatis, obvenientes, seu obventuras » imposterum, ipsaque legata pia, nec » non quæcumque bona stabilia, et supellectilia sacra, et prophana, ad prædicta duo antiqua Hospitalia, nunc quomodolibet spectantia, et pertinentia, » et quæ forsan deinceps obvenire, sive » spectare, et pertinere possunt, et poterunt in futurum, verum etiam omnia, » et singula bona, capitalia, fundos, » redditus, proventus, fructus, actiones, et jura cujuscumque qualitatis, » et quantitatis ad quædam Hospitia, seu » parva Hospitalia, quæ in agris, et » Diœcesi Faventina sparsim, et seorsim separata existunt, quæque olim » pro excipiendis Advenis, et Peregrinis » destinata erant, spectantia itidem, et » pertinentia, quorum nunc redditus » quoad eadem Hospitia, seu Hospitalia » in dicta Diœcesi existentia, in alios, » quam in præscriptos usus, ab illorum » Deputatis, seu Administratoribus impenduntur, et forsan præscriptis usibus, amplius apta minime existant; » item ea pariter bona, et capitalia ad » aliqua pia loca, et aliquas laicorum » Confraternitates, in Civitate, et Diœcesi Faventina prædictis, canonice erectas, et institutas spectantia, quæ supradictorum virorum consilio, et prævio maturo examine, superflua esse, et » eorum Institutorum respective onera, » et obligationes excedere existimaveris, » ita ut eorum annui redditus, in alios, » quamvis fortasse pios usus a testatoribus, et benefactoribus non demandatos, aliquando etiam in alias vanas, » et inutiles expensas erogentur, et erogari soleant, auctoritate, et tenore præsentis applices, assignes, appropries, » unias, et annectas; ita quod liceat novi Hospitalis hujusmodi per te, sicut » præmittitur constituendi, et erigendi » Deputatis, seu Administratoribus, omnium, et singulorum mobilium, et » immobilium, ac semoventium, bonorum, ac rerum, jurium, et actionum annuorum redditUum, proventuum, canonum, responsionum, seu » præstationum, et supellectilium hujusmodi, nomine dicti novi Hospitalis, « ut petitur erigendi, et construendi, » veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem, propria auctoritate appræhendere, et appræhensam perpetuo retinere, annuosque redditus ex præmissis bonis, aliisque in futurum acquirendis, aliasque obventiones, respective » percipere, exigere, et lucrari, ac in » novi Hospitalis hujusmodi perfectionem, constructionem, absolutionemque, usum, comodum, utilitatem, » et manutentionem convertere, ac etiam » quatenus de aliquibus bonis, seu capitalibus, ad dicta pia loca, seu Confraternitates prædictas spectantibus, » non quidem formalem dismembrationem, facere, neque ad illorum novo » erigendo Hospitali applicationem, et » appropriationem, vigore præsentium » procedere opportunum duxeris, vice, » et loco dismembrationis, seu applicationis, vel appropriationis, vel in toto, vel in parte hujusmodi, eisdem » piis locis, et Confraternitatibus (remanentibus ad eorum favorem domino, et usufructu bonorum, et capitalium ad illa, vel illas spectantium) » certam super illis, et ex illis provenientibus fructibus, præscriptam annuam pensionem, seu pecuniarum » præstationem, annis singulis, unica, » seu pluribus solutionibus, etiam per » te præscribendis, et stabiliendis, ad » favorem novi erigendi Hospitalis hujusmodi, absque ulla exceptione persolvendam, et in illius usum, et substentationem, et non alias convertendam » auctoritate, et tenore prædictis imponas, præfigas, et assignes; Insuper, » ut ædificia unius, et alterius, primo, et secundo dicti Hospitalis, nec » non dictorum Hospitiorum ruralium, » et Hospitalium in dicta Diœcesi existentium, demoliri, eaque demolita, seu » etiam in eo, in quo de præsenti reperiuntur, statu, pro congruo, et convenienti pretio, cuicumque etiam sæculari, et laicæ personæ vendere, ac » pretium, summamque pecuniarum ex » venditione hujusmodi retrahendam, » percipiendamque, in expensas fabricæ » novi Hospitalis construendi, et non » alias erogare; hac tamen lege adjecta, » ut si in ædificiis hujusmodi aliquæ » Cappellæ, seu Altaria, et fidelium » defunctorum Sepulchra, et Cæmeteria existant, antequam præmissæ venditiones, et alienationes sequantur, ex » Capellis, Altaribus, Sepulchris, et » Cœmeteriis, Sacras, ut pie creditur, » Sanctorum reliquias, Sanctorum imagines, et defunctorum ossa extrahere, » illasque, et illas ad viciniores respective Ecclesias transferre, et adsportare, et in eis, servatis servandis, reponere, et collocare, dictasque Capellas, » Altaria, et Cœmeteria profanare, et » adsportari, reponi, et collocari facere, » ac illas, et illa in profanos, non tamen

» sordidos usus reducere, ac demoliri, lignaque, et lapides, ac cætera rudera, et materialia ex præmissis provenientia, in novi Hospitalis hujusmodi ædificationem, constructionemque, aut alios quoscumque usus convertere, ac super earum, et eorum solo, et loco fabricari facere, libere, et licite possis, valeas, cures, et mandes. Præterea, quatenus pecuniarum quantitates, ex hisce venditionibus, et alienationibus retrahendæ, una cum aliis pecuniis per te etiam ad præmissum effectum comparatis, et deinceps comparandis, impares sumptibus, impensisque in causam constructionis, et perfectionis novi Hospitalis prædicti faciendis reperiantur, eo casu, ne opus hujusmodi minime absolutum remaneat, aut illius usus in tempus nimis diuturnum protrahatur, tibi, et super ejusdem novi, per te construendi, instruendique Hospitalis assignandis, præscribendisque, nec non dictorum Hospitiorum, seu Hospitalium ruralium, per te etiam, ut petitur aplicandis, et approbandis bonis, ac cum illorum speciali hypotheca aliquos census passivos, solvendo singulis annis censuum hujusmodi creditoribus fructus conventos, imponere, quatenus vero eam forsan temporum conditionem, aut bonorum prædictorum naturam esse compereris, ut hujusmodi census, non nisi sub gravioribus legibus, seu interusuriis imponi possint, adeo ut annuos redditus, qui ex dictis bonis cum effectu retrahi solent, ad æquandam fructuum ejusmodi censuum quantitatem, minime perventuros esse reputetur, tunc eisdem Deputatis, seu Administratoribus novi Hospitalis hujusmodi, ut ipsi aliqua, seu omnia præmissa bona, et capitalia ad supradicta ruralia Hospitia, seu parva Hospitalia, ut petitur, spectantia, pro juxto pretio, infrascripta tamen lege omnino servata, ut pecuniarum summæ ex prædictorum censuum impositione, seu ex alienationibus bonorum prædictorum, seu alicujus partis retrahendæ, et percipiendæ, in supradicti novi Hospitalis fabricæ constructionem, omnino, onerata in præmissis eorum conscientia, impendi, et erogari debeant, vendere, et alienare possint, et valeant, facultatem, eadem auctoritate concedere possis, et valeas, licentiam tribuimus, et impertimur. Volumus autem, ut si hujusmodi census super prædictis bonis imponendi, vel etiam ipsa bona, et capitalia forsan alienandi, et vendendi licentiam per te, vigore præsentium, sicut præmittitur, concedi contigerit, tu in impositionis, seu alienationis censuum, et bonorum hujusmodi acta, juxta imponendorum censuum summæ quantitatem, seu bonorum alienandorum valorem, certam congruam pecuniæ summam, ex novi Hospitalis hujusmodi construendi, certis redditibus, et annuis fructibus, absoluto novo Hospitali hujusmodi in omnibus suis numeris, omnibusque supellectilibus necessariis proviso, singulis annis deducendam, et sic deductam, seu disjunctam in hujusmodi censuum extinctionem, pro eorum respective rata, omnino erogandam, seu in emptionem aliorum stabilium, seu capitalium æqualis valoris impendendam, seu in bonis tutis, liberis, et securis investiendam præfinire, et assignare, nec non nunc, et pro tempore existentibus dicti novi Hospitalis Deputatis, seu Administratoribus, ut summam per te, sicut præmittitur, præscribendam, ut supra erogandam pro extinctione censuum prædictorum, seu emptione aliorum bonorum, seu capitalium omnino, fideliter, et integre persolvere, ac investire, et erogare debeant, injungere, ac etiam sub excomunicationis pœna mandare cures, suadeas, et tenearis; Denique cum in primo dicto Sancti Antonii Hospitali una pia, et devota Christifidelium Confraternitas, ut asseritur, Ordinaria, seu forsan Apostolica auctoritate jam erecta reperiatur, cujus Confratres in Dei cultu, et infirmorum ipsius Hospitalis servitio, multis modis, se se laudabiliter exercere consueverunt, et aliæ quamplurimæ similes Confraternitates, in eadem Civitate, ut asseritur, erectæ, et institutæ existunt, quæ, seu eorum Confratres ejusdem novi Hospitalis, et infirmorum in eo pro tempore degentium servitio addici possent, et ex addictione hujusmodi non exigua illarum Confratribus pariter charitatis, pietatisque exercendæ occasio, earumque primæva institutio, ad majoris perfectionis gradum eveheretur, eidem Fraternitati tuæ itidem comittimus, et mandamus, ut in eodem novo constrendo Hospitali, primodictæ Confraternitatis, ejusque Confratruum comodo, aptum, idoneumque locum, in quo dicti Confratres, consuetis pietatis

» operibus, et charitatis exercitiis va-
» care possint, ac in aliis sibi incum-
» bentibus, juxtà eorum institutum,
» officiis, se se exercere valeant, con-
» strui facere cures, atque eamdem
» Confraternitatem, a primodicto anti-
» quo Hospitali, ejusque Ecclesia, ad
» novum hujusmodi construendum Ho-
» spitale, et ad novam ipsius Eccle-
» siam, absque ullo tamen Confraterni-
» tatis hujusmodi, tam quoad præro-
» gativas, vigore suæ erectionis, seu
» aggregationis, sibi competentes,
» quam quoad Indulgentias, peccato-
» rum remissiones, et pœnitentiarum
» relaxationes, vel vigore aggregationis
» alicujus ex Archiconfraternitatibus Al-
» mæ Urbis Nostræ, vel ab hac S. Se-
» di, Confraternitati, seu illius Con-
» fratribus, aut Ecclesiæ hujusmo-
» de, concessas, præjudicio transferre.
» Præterea, si ex prædictis aliis, in
» ista Civitate Faventina erectis Confra-
» ternitatibus, aliquas compereris, fore
» pro novo sic construendo hospitali, ser-
» vitio proficuas, illis, seu eorum Con-
» fratribus, etiamsi Confraternitates præ-
» dictæ auctoritate Apostolica erectæ,
» et illarum statuta ab eadem Sede ap-
» probata, et confirmata fuerint, hu-
» jusmodi servitium injungere, vel etiam
» easdem, cum primodicta Confrater-
» nitate unire, et incorporare, seu Con-
» fraternitates prædictas, ad novam di-
» cti construendi Hospitalis Ecclesiam
» transferre, ita ut Confratres earundem
» Confraternitatum, sicut petitur, ab
» earum Ecclesiis, seu Oratoriis per Te
» transferendarum, iisdem Indulgentiis,
» peccatorum remissionibus, et pœni-
» tentiarum relaxationibus, quibus in
» dictis Ecclesiis, seu Oratoriis ante
» nonulla pietatis, et charitatis opera
» exercentes, gaudebant, pari modo,
» et absque ulla differentia præmissa pe-
» ragentes, in dicta nova Ecclesia gau-
» dere valeant, itidem auctoritate, et
» tenore præsentis transferre possis, et
» valeas. Ac earumdem Confraternita-
» tum, per Te, ut petitur uniendarum,
» seu transferendarum institutionem, et
» statuta, quatenus Confratres ad id
» suum consensum præbuerint, immu-
» tandi, variandi, et reformandi, du-
» modo Decretis Concilii Tridentini, et
» Constitutionibus Apostolicis, minime
» adversentur, aliaque de novo conden-
» di, et illorum observantiam deman-
» dandi, nec non illorum Festorum ce-
» lebrationes, aliorumque piorum ope-
» rum, et legatorum satisfactiones, Con-
» fraternitatibus prædictis, per pios be-
» nefactores relictorum, quæ in earum-
» dem Confraternitatum Ecclesiis, seu
» Oratoriis, ac in supradictis hospitiis,
» seu Hospitalibus ruralibus injuncta,
» adimpleri huc usque consueverunt,
» dumodo tamen per translationem per
» te, vigore præsentium faciendam,
» nullius testatoris, seu benefactoris
» voluntatis implementum prætermitta-
» tur, seu illius primariæ intentioni di-
» recte contraveniatur, ad eamdem novi
» Hospitalis Ecclesiam transferendi, et
» illa, vel illas celebrari, et adimple-
» ri facere mandandi, et injungendi,
» atque insuper quatenus, per hujus-
» modi unionem, incorporationem, et
» translationem, aliqua loca, seu Ora-
» toria, in quibus Confratres dictarum
» Confraternitatum, sic transferenda-
» rum, et uniendarum se se congrega-
» re consueverunt, seu illis quacum-
» que de causa fuerunt, nulli deinceps
» usui destinata remanere contigerit,
» eadem loca, seu Oratoria, servatis
» pariter alias servandis, pro conve-
» nienti pretio vendendi, et alienandi,
» ac summam inde percipiendam, in
» expensas pro perfectione Fabricæ di-
» cti novi Hospitalis, omnino erogan-
» di, et impendendi, plenam, libe-
» ram, et amplam facultatem, aucto-
» ritate, et tenore præsentis, concedi-
» mus, et indulgemus. Confidentes igi-
» tur, pium hoc opus, zelo, et vigi-
» lantia Fraternitatis Tuæ inceptum,
» et prosequutum auctoritatis Nostræ
» præsidio suffragante, feliciter per te
» perficiendum fore; proindeque Apo-
» stolicam liberalitatem, et beneficen-
» tiam Nostram erga idem novum Ho-
» spitale, et infirmos in eo deinceps
» recipiendos amplificare, nec non Chri-
» stifidelium pietatem ad Religionis,
» et misericordiæ opera, in eodem Ho-
» spitali, ut petitur, erigendo, et in
» illius Ecclesia studiose exercenda,
» excitare volentes, de Omnipotentis
» Dei misericordia, ac Beatorum Pe-
» tri, et Pauli Apostolorum ejus au-
» ctoritate confisi, omnibus, et singulis
» Christifidelibus, vere pœnitentibus,
» et confessis, ac Sacra Comunione re-
» fectis, qui Ecclesiam, seu Cappellam
» dicti novi Hospitalis, per te, ut pe-
» titur, erigendi, et postquam illa ab-
» soluta fuerit, in duobus Anni Festis
» diebus, arbitrio tuo, semel tantum
» eligendis, a primis vesperis, usque
» ad occasum solis, cujuslibet diei hu-
» jusmodi visitaverint, et inibi pro Chri-
» stianorum Principum concordia, hæ-
» resum extirpatione, et Sanctæ Ma-

„ tris Ecclesiæ exaltatione, pias ad „ Deum preces effuderint, quoties in „ dictis duobus festivis diebus id egerint, plenariam omnium peccatorum „ suorum indulgentiam, et remissionem, ac insuper omnibus, et singulis Christifidelibus, qui vere pœnitentes, et cum proposito quantocius „ peccata sua confitendi, dictam Cappellam, seu Ecclesiam, in quacunque anni die visitaverint, et ut supra oraverint, seu etiam preces pro „ animabus Christifidelium in dicto Hospitali defuntorum effuderint, vel infirmos in dicto Hospitali degentes visitaverint, eisdemque infirmis, aliquam corporalem servitutem præstiterint, aut consolati fuerint, ac Catholicæ Fidei mysteria explicaverint, „ et Cathechismum peregerint, ac doctrinam christianam docuerint, toties „ quoties, ac singulis diebus id egerint, „ centum, ac in diebus festivis ducentos dies, de injunctis eis, vel alias „ quomodolibet debitis pœnitentiis; „ omnibus vero Christifidelibus, cujuscumque qualitatis, status, et conditionis, etiam indigenis, et advenis, „ qui in dicto novo erigendo Hospitali, pro tempore recipientur, postquam „ illud ingressi fuerint, etiamsi morti „ non sint proximi, si vere pœnitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, „ et, ut petitur, ut supra preces effuderint, ac itidem ipsis infirmis morti „ proximis, si tunc vere pœnitentes, „ et confessi, ac Sacra Comunione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, devote invocaverint, Plenariam itidem omnium peccatorum „ suorum Indulgentiam, et remissionem perpetuo in Domino concedimus, et indulgemus; ac insuper ut „ quandocumque Sacerdos aliquis sæcularis, vel cujusvis Ordinis, et Instituti Regularis, Sacrosantum Missæ „ sacrificium, ad Altare, seu Capellam „ Hospitalis hujusmodi, seu illius Ecclesiæ, per Te semel tantum eligendam, pro Christifidelium in dicto „ Hospitali ab hac luce migrantium, „ nec non Hospitalis hujusmodi Deputatorum, ac Ministrorum, et inservientium, quacumque die, pro vero „ cujusvis utriusque sexus Christifidelis animabus, quæ Deo in charitate „ conjunctæ ab hac luce migraverint, „ et in die comemorationis omnium „ defunctorum, singulis diebus intra „ octavam, ac in una feria ejusdem „ hebdomadæ per Te pariter semel eligenda, celebrabit, anima ipsa de „ Thesauro Ecclesiæ, per modum suffragii, indulgentiam consequatur, ita „ ut Domini nostri Jesu Christi, et Beatissimæ Virginis Mariæ Sanctorumque „ meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii „ pœnis liberetur, perpetuo itidem concedimus, et indulgemus: Ipsius autem „ Hospitalis per Te, ut petitur erigendi, „ Cappellano, seu Cappellanis, seu alias „ quomodolibet nuncupandis Sacerdotibus, ad spiritualem infirmorum in eo „ tempore degentium assistentiam, quoque pro tempore deputandis, ad excipiendas Sacramentales Christifidelium „ Confessiones, prius per Te, seu pro „ tempore existentem Episcopum Faventinum approbatis, seu approbandis, „ omnium, et singulorum infirmorum „ in dicto Hospitali pro tempore existentium, cujuscumque qualitatis, „ status, et conditionis, etiamsi cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, „ alteriusque instituti, etiam speciali „ mentione dignorum Regularium, nec „ non personarum ejusdem Hospitalis „ servitio addictarum, dum pro tempore infirmæ fuerint, Confessiones Sacramentales excipiendi, illisque exceptis, illos, et illas, etiam in principio, aut in decursu eorum, et earum infirmitatum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel „ ab homine quomodolibet latis, nec „ non votorum quorumcumque etiam „ solemnium, ac juramentorum, et Ecclesiæ mandatorum trangressionibus, „ jejuniorum, pœnitentiarum injunctarum, et Divinorum Officiorum omissionibus, aliisque eorum peccatis, „ criminibus, excessibus, quantumvis „ gravibus, et enormibus, etiam Sedi „ Apostolicæ quomodolibet, ac etiam in „ Bulla die Cænæ Domini quotannis legi consueta, reservatis, etiamsi casus hujusmodi per annuam dictæ Bullæ publicationem, denuo Sedi prædictæ reserventur, exceptis tamen casibus hæresis, schismatis, conspirationis in Romanum Pontificem, aut „ Statum, Ditionemque Sedis prædictæ, „ falsificationis Literarum, aut Suplicationum, vel Comissionum Apostolicarum, delationis armorum, et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, Præsbytericidii publici, injectionis manuum violentarum in Episcopos, vel alios Superiores Prælatos Ecclesiasticos, publicæ violationis „ clausuræ Monialium, ad malum, et

» inhonestum finem, publicæque quo» que violationis Immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ, ac etiam occultæ, in terminis Constit. felic. record. Gregorii Papæ XIV. prædecessoris Nostri incipientis = Cum alias nonulli = de quibus corde contriti, et ore confessi fuerint (in mortis autem articulo, ab omnibus etiam, ut supra exceptis, et reservatis, cum reincidentia, quatenus minime obierint) injunctis eis pœnitentiis salutaribus, aliisque, juxta canonicas sanctiones, rectæque disciplinæ regulas injungendis, in foro coscientiæ tantum absolvendi, non tamen ipsa vota commutandi, aut super irregularitatibus quibuscumque, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam causa, et occasione delicti contractis, cum aliquo dispensandi, iisdemque infirmis Sanctissimum Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis Sacramentum ministrandi; nec non ejsdem infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, Benedictionem Apostolicam, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia, ac remissione, juxta modum, et formam in constitutione Nostra Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII. nonis Aprilis edita, incipiente = Pia Mater = præscriptam, et traditam impertiendi licentiam, ac facultatem, auctoritate, et tenore præsentis perpetuo concedimus, tribuimus, et impertimur. Decernentes, easdem præsentes Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quorumcumque piorum benefactorum testamentis, dispositionibus, codicillis, et ultimis voluntatibus, quas, quoad præmissa, sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, nec non Confraternitatum, Hospitalium, Hospitiorum, aliorumque Piorum Locorum, et Civitatis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum, tenore præsentium pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die XXXI. Jan. MDCCLII. Pontificatus nostri Anno XII.

*Absoluta novi Hospitalis constructione, et redditunm incorporatione, perdurantibus pauperum jam in eodem translatorum incomodis, preces porriguntur ut Religiosis Ordinis S. Joannis de Deo, hospitale hoc regendum, et gubernandum tradatur.*

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subdjungebat, et collecta, vigore earumdem Benedicti prædicti prædecessoris literarum, ingenti pecuniarum summa, et quantitate, insignis ædificii moles, jam suis numeris absoluta conspiciatur, et novum Nosocomium, non modo Pontificia liberalitate fundatum, sed Apostolicis concessionibus constructum, jure dici mereatur, resque ad eum statum pervenerit, ut benedicente Domino, a veteribus Hospitalibus, seu Nosocomiis, ut præfertur, in novum Nosocomium, seu Hospitale, pauperes infirmi quam primum transferri, retineri, curari, et ali comode valeant, sicque plenariæ exequtioni unio, et incorporatio dictorum antiquorum Hospitalium, in prædictis memorati Benedicti prædecessoris Literis jam volita, et concessa demandata sit, idcirco tunc repetens animo, gravissimas, quæ hactenus in dictis Hospitalibus antiquis contigerunt incomoda, in infirmis recipiendis, et multo magis in illis retinendis, alendis, ac dimittendis, cum maximo eorumdem infirmorum detrimento, ac piorum virorum offensione, magna ex parte processisse ex rudium personarum eisdem inservientium imperitia, et negligentia, vel etiam ex culpabili malitia, quæ licet interposita per te sæpius auctoritate Ordinaria, nec non repetitis etiam studiis, cura, et diligentia virorum deputatorum, qui quoad alterum vero S. Nevolonis, partim a te, partim ab eodem Magistratu, dictorum Hospitalium curæ regimini, et administrationi, sine præjudicio tamen Ordinariæ tuæ auctoritatis, præesse hactenus consueverunt, vincere, et emendare non potueras, ideo adhibitis etiam in consilium multis doctrina, pietate, et prudentia spectabilibus viris, in eam dimitti sententiam ad rectam novi Hospitalis hujusmodi administrationem, pauperumque in ipsum recipiendorum

proficuam curam in Spiritualibus æque, ac temporalibus, necesse omnino esse, ut submotis sæcularibus ministris, et inservientibus, qui hactenus, in prædictis antiquis Hospitalibus, materialem operam præstiterant, novi Hospitalis prædicti, et recipiendorum in primodictis Hospitalibus infirmorum, ac etiam mentecaptorum, aliarumque personarum, aliena pietate indigentium, juxta veterum Hospitalium instituta, omnimoda administratio, cura, regimen, et gubernium, dilectis filiis Fratribus Ordinis S. Joannis Dei, sub nonnullis certis legibus præscribendis, ac conditionibus demandetur, initumque a te consilium, licet contradictores inveneris dilectos filios, Consilium, et Magistratum Civitatis prædictæ, ad majorem quoque numerum illorum, qui constituebant Congregationem, quam ad formam prædictarum Benedicti prædecessoris literarum, pro recta instituti operis directione, felicique progressu tibi adjunxeras; probatum autem fuit ab aliis pietate, et rerum usu præditis viris, præsertim vero plerisque Parochis ejusdem Civitatis, de servata hactenus, in antiquis Hospitalibus prædictis, inordinata agendi ratione, deque habita mala pauperum Infirmorum cura, optime consciis: quamobrem summopere desiderabas, ut quod æquius, et quod utilius curæ, et necessitatibus spiritualibus, et corporalibus pauperum infirmorum indigentiis sublevandis, magis proficuum Nobis videretur, et bonitate Apostolica statuere, et decretare dignaremur.

Quum controversiæ subortæ fuerint quoad hanc propositam novi Hospitalis concessionem, eas removere Pontifex pro sua prudentia curavit.

§. 5. Nos, ut quid in hac re magis in Domino expediret, agnoscere, eligere, ac firmius statuere possemus, quandoquidem, oblato Nobis libello, acceperamus eorum conquestiones, qui introductioni Fratruum dicti Ordinis in novum Hospitale, ac curæ et regimini, et administrationi ejusmodi, se se contradictores præstiterant, tibi dedimus in mandatis, ut auditis dilectis Filiis Magistratu Civitatis prædicto, aliisque tam Ecclesiasticis, quam Laicis prædictam congregationem constituentibus, ac in scriptis receptis rationibus, et causis, quibus prædictam eorum Fratrum introductionem, seu illorum administrationem præfati Hospitalis improbandam existimarent, omnia ad Nos inde transmitteres. Quod quum jam præstiteris, et Nos, omnia per prædictum Magistratum, prædictamque congregationem deducta, serius, ac mature perpenderimus, simulque, et aliis transmissis authenticis documentis deprehenderimus, innumera æque, ac gravissima incomoda in antiquis Hospitalibus hujusmodi, quoad pauperum infirmorum, aliarumque miserabilium personarum receptionem, curam, et dimissionem, altas adeo radices egisse, ut eisdem aliquod remedium afferendi nullus suppetat modus, nisi ut veteres Ministri amoveantur, et nova administrationis, curæ, et regiminis forma inducatur.

Quibus remotis prædictum Novum hospitale Religiosis Ordinis S. Joannis de Deo concedit, prævia derogatione cuicumque præcedenti pia institutione, seu dispositione.

§. 6. Ne tot itaque sumptus, et labores, quos in ejusmodi novo Hospitali fundando, construendo, et perficiendo adhibuisti, in irritum cedant, et eadem incomoda novum Hospitale invadant, ipsius rectæ administrationi, et regimini, ac pauperum infirmorum curæ, et indigentiis consulere cupientes, plurimam in Domino fiduciam habentes, de perspecta Nobis sedulitate, charitate, vigilantia, peritia, religionis zelo eorumdem Fratrum, qui in Hospitalibus hujusmodi regendis, et administrandis semper claruerunt, et clarere pergunt, ac propterea curam, regimen, et administrationem ipsius novi Hospitalis, illiusque infirmorum, ac bonorum omnium illi adnexorum, eisdem Fratribus committere intendentes, eorum Fratrum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tamen consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus quoque tuo nomine, super hoc humiliter porrectis inclinati, ac supradictis, aliisque ex causis animum Nostrum moventibus adducti, quascumque contradictiones, ac controversias per quoscumque, sive ejusdem Civitatis Nostræ Faventinæ Magistratum, sive Consilium, ac Communitatem, et homines, aliosque officiales, et deputatos, et ministros, et inservientes, quocumque modo, etiam vigore piarum dispositionum, testamentorum, codicillorum, et piorum legatorum electos, faciat, ut fertur, harum serie cum suis adnexis, et connexis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ad Nos avocamus, cassamus, et irritamus, et avocatas, cassatas, et irritas esse volumus, et inanes, et perpetuo supprimimus, et extinguimus, perpetuumque illis, ac aliis imposterum, super præmissis contradictionibus

silentium imponimus, dictosque modernos officiales, ministros, deputatos, et inservientes, quocumque officio, et auctoritate fungentes, et vigore cujuscumque deputationis, et nominationis, electionis, etiam intuitu piarum dispositionum, testamentorum, codicillorum, et piorum legatorum, per quoscumque pios benefactores demandatæ, et factæ, electos, et nominatos, ab omni cura, ingerentia, administratione, regimine, et gubernio, et respective honoribus, superioritate, auctoritate, facultate, quæ in supradictis veteribus Hospitalibus, sive per se, sive per alios designatos exercere pergunt, auctoritate, et tenore præsentis perpetuo absolvimus, eximimus, et totaliter liberamus, eisdem in virtute S. Obedientiæ, et sub pœnis arbitrio Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis imponendis, ne ullo modo, et sub quovis prætextu, causa, ratione, et studio, sive per se, sive per alios, etiam per interpositam personam imposterum, curæ, regimini, et administrationi, sive veterum, sive novi Hospitalium hujusmodi se ingerant, seu ingerere curent, præcipimus, et mandamus.

Veterum Hospitalium suppressionem a Benedicto XIV approbatam confirmat, et Religiosis Sancti Joannis de Deo Aromatariæ etiam administrationem concedit.

§. 7. Novi vero Hospitalis, in ista Nostra Civitate Faventina, ut fertur, erecti, supradictis duobus Hospitalibus, in vim prædictarum Benedicti prædecessoris Literarum hujusmodi, quas tenore præsentium, quatenus hisce Nostris Literis non adversentur, confirmamus, approbamus, et quatenus pariter opus sit innovamus, et omnia, et singula jura, et supellectilia, resque ad illius usum quomodocumque spectantes, empta, et existentia, ad novum Hospitale transferri, et asportari, eo ipso in loco juxta consuetudinem aliorum Hospitalium, sub cura, et regimine eorumdem Fratrum existentium, collocari, eisdemque Fratribus, una cum superius enunciatis fundis, capitalibus, redditibus, proventibus, medicamentis, pharmacis, instrumentis, supellectilibus, rebusque omnibus ad usum Aromatariæ emptis, et existentibus, de præsenti tradi, et consignari, quacumque contradictione, appellatione, et recursu amotis, illisquenon obstantibus cures, facias, et exequaris, ita tamen ut ipsa Confraternitas, seu illius officiales deputati, et Confratres, prædictæ Aromatariæ, illiusque fundorum, et capitalium, et illorum fructuum, redituum, et proventuum administrationi præpositi, postquam ipsam Aromatariam, fundos, capitalia, redditus, et proventus, aliaque bona supellectilia, quæcumque ad illam, sicut præmittitur, spectantia, eisdem Fratribus, Nostro, et tuo jussu, et mandato tradiderint, ab omni onere, cura, actione, et ingerentia ipsius Aromatariæ, illiusque manutentione, ac dictorum fundorum, capitalium, fructuum, et redituum, ac proventuum administratione, nec non Aromatum, juxta dispositionem piorum testatorum, legatariorum, ac benefactorum distributione absoluti, liberi, et exempti censeantur, prout Nos ex nunc pro tunc, ipsos absolvimus, eximimus, et liberamus, ac liberos, et exemptos, et absolutos esse volumus, decernimus, et declaramus.

Vetera onera Hospitalium in Religiosos Sancti Joannis de Deo transfert, et regulas quoad administrationem Aromatariæ præscribit.

§. 8. Onera vero a dictis piis testatoribus, legatariis, et benefactoribus volita, relicta, ac demandata, in prædictos Fratres, authoritate Apostolica præfata, transferimus, ita pariter, ut dicti imposterum, Aromatariam ipsam, summa fide, ac diligentia prosequi, ac manutenere, redditusque, fructus, et proventus eorumdem fundorum, et capitalium, fideliter administrare, et in emptionem medicamentorum, aromatum, aliarumque rerum necessarium impendere, et erogare, et medicamenta inde confecta, non solum infirmis in novo Hospitali hujusmodi existentibus, verum etiam reliquis Civitatis pauperibus infirmis, in propriis domibus decumbentibus, pro quibus consuetæ medicorum pagellæ, seu, ut vulgo dicitur = *Bollettino del Medico sottoscritto per la Spezieria* = una cum fide Parochi, de vera paupertate infirmi testantis, afferatur, intra eam mensuram, et quantitatem quæ, ducto per decennium proxime elapsum calculo, ab ipsa Confraternitate, seu pro ea ab illius Pharmacopola, singulis annis huc usque, in ipsorum medicamentorum distributione servata conspicitur, gratis præstare, concedere, et distribuere teneatur.

Revocatis prohibitionibus contra Religiosos medicamenta vendentes publice, permittit illis S. Joannis de Deo Faventinum hospitale administrantibus, ut cuivis tradere, et vendere medicamenta publice possint.

§. 9. Ne vero imposterum, iter Fratres prædictos, postquam Aromatariam hujusmodi, juxta præsentem concessionem, eis tradendam, administraverint, et Pharmacopolas ejusdem Civitatis lites, et controversiæ oriantur, præsertim super prætensione, quod Fratres prædicti, pharmaca, et medicamenta sæcularibus personis vendere non possint, juxta prohibitiones super præmissis a felic. record. Innocentio XIII et Clemente XII Romanis Pontificibus pro

statu nostro Ecclesiastico editas, ne Regulares, et Moniales cujuscumque Ordinis, quæcumque medicamenta, pharmaca, et Theriacam, et Mitridaticum venderent, et si idem Innocentius in Statu Ecclesiastico præsertim, seu in Alma Urbe, et subinde rec. etiam mem. Benedictus XIV prædecessor Noster, in sua simili prohibitione pro statu Mediolanensi, Fratres dicti Ordinis in prohibitione hujusmodi, minime compræhensos esse declaraverit, ita, et Nos, eorumdem Innocentii, et Benedicti predecessorum exemplis inhærentes, Aromatariam prædictam, sic imposterum non compræhensam esse in editis, et imposterum edendis pœnis, et prohibitionibus, ne Regulares cujusvis ordinis, pharmaca, et medicamenta quæcumque, juxta tamen pretium cujuscumque ex medicamentis assignatum, quibusvis personis, ad hujusmodi Aromatariam accedentibus, publice vendere, et de venditis medicamentis, partes solvere, differentes etiam in jus vocare, dumodo tamen pretium ex hujusmodi venditione proveniens, in comodum, utilitatemque tam infirmorum in dicto novo Hospitali existentium, quam aliorum erogetur, innovamus, et denuo servata in omnibus, et per omnia præsentium Nostrarum Literarum forma, et dispositione concedimus, jam ut supra, subrogari, nec non introducendorum in novum ipsum Hospitale pauperum infirmorum, ac etiam amentium, aliarumque ut supra miserabilium personarum, quæ juxta dictorum veterum Hospitalium instituta, et fundationes, erectionesque, secure in ipsis hactenus receptæ fuerunt, etiam deinceps, in eodem novo Hospitali, eadem charitate recipi, admitti, ali, curari, et retineri debeant, nisi aliter a Nobis, de aliquo hujusmodi personarum genere, specialiter, et opportune provideatur, regimen, curam, et administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, eidem Ordini S. Joannis Dei, et pro eo, illius modernis, et pro tempore existentibus Fratribus, auctoritate Apostolica, et tenore præsentium, perpetuo comitti, et demandari volumus, atque statuimus.

Faventino Episcopo committit, ut Fratres S. Joannis de Deo in Hospitalis, Aromatariæ, et redditunm possessionem, debitis adhibitis cautelis, immittat.

§. 10. Ac propterea per præsentes, Fraternitati tuæ comittimus itidem, et mandamus, ut cum primum comode fieri poterit, eosdem Fratres in actualem, realem, et omnimodam prædicti novi Hospitalis, ejusque regiminis, curæ, et administrationis, nec non omnium bonorum stabilium, fructuum, reddituum, et proventuum, jurium, actionum, et supellectilium sacrarum, et prophanarum possessionem, seu quasi possessionem, auctoritate Nostra Apostolica, immitas, inducas, et constituas, sub iisdem tamen modis, legibus, et conditionibus, quæ re maturius pensata, inter te, et eosdem Fratres, per publicum inde Instrumentum conficiendum, ipsius Hospitalis rectæ administrationi, et manutentioni infirmorum, et concordiæ servandæ accomodatæ videbuntur, quarum tamen examen, et approbationem, judicio Nostro, seu pro tempore Romani Pontificis existentis reservamus.

Ad novæ Aromatariæ erectionem evitandam, novo Hospitali concedit illam Confraternitati S. Joannis Decollati præcedenter spectantem, firmis tamen dispositionibus fundatorum hujus translatæ Aromatariæ.

§. 11. Firmis tamen, et salvis semper remanentibus, omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et indultis, per alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros, prædicto Ordini, ac illius Superioribus, Fratribus, et personis quomodolibet concessis, quorum tenores præsentibus pro expressis, et insertis haberi volumus; et quia sine officina medicamentaria, sive Apotheca Aromataria, memorati novi Hospitalis, et infirmorum indigentiis, satis consultum non esset, novamque Aromatariam, ex integro nunc in novo Hospitali prædicto efformare, et construere, et necessariis aromatibus, pharmacis, et instrumentis, cæterisque opportunis rebus instruere, propter ingentem pecuniarum summam ad id necessariam, perdifficile depræhenditur, idcirco eidem Fraternitati tuæ, per præsentes pariter comittimus, et mandamus, postquam memoratos Fratres ejusdem Ordinis Sancti Joannis Dei, in sæpe dicti novi Hospitalis possessionem, sicut præmittitur, induxeris, eadem Nostra auctoritate Apostolica, ad hunc quoque effectum tibi per Nos attributa, Aromatariam ad Confraternitatem S. Joannis Decollati, seu Mortis nuncupatam, in eadem Nostra Civitate Faventina existentem, ut asseritur erectam, ex qua non solum pauperibus infirmis, per domos decumbentibus, juxta Medicorum perscriptum, et dilectorum filiorum Officialium, seu deputatorum ejusdem Confraternitatis mandatum, juxta piorum testatorum, et benefactorum pias dispositiones, et voluntates, quæ certos fundos, adnexosque redditus, et proventus, ad hunc effectum, eaque de causa eidem Confraternitati reliquerunt, medicamenta, gratis, juxta definitam quantitatem singulis annis, præberi solent, verum etiam certa medicamentorum prædictorum portio, et quantitas

dictis duobus veteribus Hospitalibus, quotannis gratis præstari consuevit, et pergit de præsenti spectantia, et pertinentia, novo Hospitali prædicto, una cum ipsa Domo, et Apotheca, aliisque omnibus fundis, et capitalibus, illorumque annuis fructibus, redditibus, et proventibus, juribus, et actionibus, quæ a dictis piis benefactoribus, et testatoribus ad eumdem præcisum effectum, eamdem Aromatariam habendi, retinendi, manutenendi, et erogandi prædictæ Confraternitati cessa, donata, et relicta fuerunt, ac comperiuntur, et existunt, non obstantibus eorumdem piorum benefactorum, et testatorum quantumlibet contrariis dispositionibus, testamentis, codicillis, et ultimis voluntatibus, quas hic de verbo ad verbum, una cum suis clausulis, conditionibus, et declarationibus volitis, et appositis pro expressis haberi volumus, et de quibus, ad præmissum effectum dumtaxat, firmis tamen oneribus impositis, derogamus, et commutamus, unias, adnectas, dones, assignes, et incorpores, ipsamque Aromatariam, medicamenta, et pharmaca quæcumque, ac omnia, in propriis domibus decumbentium ægrotorum servitio cedant, statuimus pariter, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes has præsentes Literas, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa quæcumque, tamquam pro bono publico, et majori pauperum infirmorum subsidio, et spirituali non minus, quum corporali eorum utilitate volita, ac præscripta, etiam ex eo, quod aliqui in ipsis interesse habentes, seu habere prætendentes, etiamsi specifica mentione, et individua expressione digni, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia parte, quantumvis pia, juridica, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, et enormissimæ læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensu, alioque quolibet, etiam magno, et sobtantiali, ac inexcogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos, aperitionis oris, et restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motuproprio concesso, vel emendato, quempiam in judicio, et extra, illo uti, seu juvari ullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas, semper, et perpetuo firmas, solidas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari, et adimpleri, sicque, et non aliter in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Apostolicarum Auditores, ac quascumque S. R. E. Cardinalium Congregationes, sublata eis, ac eorum cuilibet aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his, a quocumque, quavis occasione, scienter, et ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancelleriæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo, nec quorumcumque testatorum, ac piorum benefactorum, etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa, sufficienter expressa commutamus, ac supradictis, ejusdem Benedicti prædecessoris Anni 1752 expeditis Literis, quoad eam partem, quæ hisce præsentibus Nostris adversantur, quas tamen in cæteris omnibus innovamus, et confirmamus, aliis Constitutionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, et Civitatis, dictorumque Hospitaliam, etiam juramento, confirmatione Apostolica, et quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præcisum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterique contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Volumus autem, ut tam Pharmacopola, qui hactenus Confraternitatis Aromatariam exercuit, quam unius, et alterius honestiores Ministri dictorum antiquiorum Hospitalium, quando officiis sibi adjunctis, laudabiliter functis comperiantur, et veterum Deputatorum judicio, quorum conscientiam super hoc oneramus, ac propte-

Substentationi inservientium translatæ Aromatariæ providetur.

rea digni censeantur, substentatione charitativa provideantur, facta nimirum eisdem, ad certum determinatum tempus, prudenti tuo arbitrio, definiendum, congruæ præstationis assignatione a te præscribenda, sive ex dictæ Aromatariæ, sive respective ex ipsorum Hospitalium redditibus persolvenda, ut aliud honestum munus exercendi occasionem sibi quærentes, quo se imposterum substentari valeant, haud difficile consequantur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die VII. Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno III.

---

Dat. die 14 April 1761 Ann. III.

## CCIII.

Deputatio Eminentissimi Cardinalis Banchieri in Protectorem Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, servata forma Constitutionis Innocentii XII. super moderatione facultatum Protectorum Ordinum Regularium.

*Romani Pontifices de opportunis Protectoribus ex S. R. E. Cardinalium deputatione, Regulares Ordines ditarunt; Ad prœlaudatorum Protectorum facultates vel statuendas, vel temperandus quamplurimœ habentur Pontificiœ Constitutiones. Quoad Protectorem Ordinis Minorum S. Francisci adest Constitutio Gregorii XI. edit. Anno* MCCCLXXIII. *Maii* XXVII. *Quam confirmavit ampliavit, et extendit Sixtus IV. Constit. altera edita Anno MCCCCLXXII. Jan.* XXVIII. *Utrasque vero probavit, et declaravit Julius II. Const. Anni MDVIII. Octobris* XV. *Tandem prœvia memoratarum Constitutionum confirmatione, eas, novis additis prœscriptionibus ad Protectores quorumcumque Ordinum Regularium extendit Innocentius XII. Constitut. sua Anni MDCXCIV. Feb.* XVI. *quam legere prœstat in Bullario Mainardii.*

Dilecto Filio Nostro Joanni Francisco S.R.E. Diacono Cardinali Banchieri nuncupato.

Clemens Papa XIII.

Dilecte Fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Cum per obitum bo. mem. Joachimi Ferdinandi S. R. E. Cardinalis Portocarrero nuncupati, Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, dum vixit, apud Sedem Apostolicam Protectoris nuper apud Sedem Apostolicam defuncti, Ordo ipse Protectore destitutus remanserit; Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumspectionis singulari prudentia, integritate, ac Religionis zelo, plurimum in Domino confisi. Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, te, ex cujus Protectione, ob tuas eximias virtutes, Ordinem hujusmodi plurimum commodi, ac ornamenti suscepturum esse confidimus, præfati Ordinis, illiusque Religiosorum, et Domorum Regularium quorumcumque apud Nos, et Sedem præfatam Protectorem, cum omnibus honoribus, et oneribus solitis, ac consuetis, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Innocentii PP. XII. Prædecessoris Nostri, super moderatione facultatum Protectorum Ordinum Regularium editæ, ad tui vitam, auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus, et deputamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ omnibus et singulis Fratribus, et personis dicti Ordinis, ut te in eorum Protectorem juxta tenorem præsentium recipientes, ea, qua debent, reverentia prosequantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Cœterum te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem, æternum præmium, et a Nobis condignam laudem valeas promereri Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 15 April 1761 Ann. III.

## CCIV.

Indulgentia Plenaria pro visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum in Ultramontanis partibus, in quibus Oratio quadraginta horarum de Locorum Ordinariorum licentia fieri contigeret.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quæ Christifidelium salus procuratur animarum libenter intendimus, eaque favore prosequimur

opportuno. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupati, Orationem quadraginta horarum ad animarum salutem augendam in ultramontanis partibus in Ecclesiis Civitatum, et Locorum, ubi ipsi Conventus habent, instituere soleant. Nos pium, et sanctum, nec non Deo acceptabile opus hujusmodi promovere cupientes; Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum hujusmodi continuatarum, non autem, nisi noctis tempore interpolatarum, de licentia Ordinariorum locorum semel in anno instituendæ, per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Omnibus vero, et singulis Confessariis ab Ordinariis locorum respective approbatis, qui in Ecclesiis præfatis occasione dictæ Orationis ad audiendas Confessiones deputati fuerint, omnes, et quoscumque utriusque sexus Christifideles pœnitentes, ab omnibus quibuscumque in præteritum usque ad diem datæ præsentium commissis criminibus, et excessibus etiam Nobis, et Apostolicæ Sedi reservatis (hæresis, simoniæ, ac duelli, et violationis clausuræ Monasteriorum Monialium, et recursus ad Judices Laicos contra formam Sacrorum Canonum exceptis) nec non excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, et pœnis, etiam in Litteris die Cœne Domini legi solitis contentis in præteritum, similiter usque ad diem datæ præsentium incursis, imposita cuilibet arbitrio suo pœnitentia salutari, in foro coscientiæ tantum absolvendi, facultatem, et auctoritatem pro prima vice solummodo, tenore præsentium concedimus, et impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, et Generalibus Conciliis editis, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus quoad Indulgentiæ hujusmodi concessionem ad septennium proximum tantum valituris. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumtis, seu exemplis, et impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CCV.

Dat. die 15 Aprilis 1761 Anno III.

Abbati Monasterii S. Huberti in Ardenna Ordinis S. Benedicti, et Officialibus ab eo deputandis, facultas tribuitur sese immiscendi absque censurarum incursu in Causis Criminalibus ejusdem Oppidi S. Huberti, adnexorumque locorum, in quibus jurisdictionem temporalem præfati Monachi exercent, dumodo se se abstineant a ferenda sententia in Causis Sanguinis.

### Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Monachi Sancti Huberti in Ardenna jurisdictionem temporalem in Oppido ejusdem Sancti Huberti exercentes, preces porrigunt pro removendis abusibus in judiciis Criminalibus existentibus, a Laicis Magistratibus factis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii Modernus Abbas, ac Conventus, et Monachi Monasterii Sancti Huberti in Ardenna Oppidi ejusdem Sancti Huberti Ordinis Sancti Benedicti Leodien. Diœcesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ejusdem Oppidi multorumque Pagorum, Castrorum, et Locorum in eis jurisdictionem temporalem exercentes, Domini in temporalibus sint, et in eisdem Oppido, Pagis, Castris, et Locis hujusmodi quandoque gravissima delicta committantur, quæ multoties prava suorum Prætorum, Scabinorum, et Officialium Laicorum dissimulatione, aut donis, et muneribus aliquando corruptorum, vel amicitia seductorum impunita remanent cum publico quietis detrimento; Nobis propterea exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex facultatem tribuit Abbati præfati Monasterii, atque Officialibus ab eo, de gremio Ordinis deputandis, ut occasione præfatæ temporalis jurisdictionis, in causis criminalibus se se immiscere possint absque censurarum incursu.

§. 2. Nos igitur eorumdem exponentium commodis, et conscientiæ securitati, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, illosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacunque de causa latis, si quas forte incurrunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,

eidem moderno Abbati, et ab eo pro tempore deputandis de gremio ejusdem conventus, Officialibus, quamdiu Officialium hujusmodi muneribus fungentur, ac jurisdictioni temporalis in eisdem Oppido, Pagis, Castris, et Locis prædictis, eisdem exponentibus competentis, ratione, et occasione dumtaxat, quod ipsi in negotiis, et Causis Criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit se immiscere, ac in eis Justitiis, et Curiis Oppidi. ac aliorum Locorum prædictorum interesse, votum decisivum habere, ac in eisdem negotiis, et Causis hujusmodi, consilium, mandata, et jussiones tam verbo, quam in scriptis dare, et debitæ exequutioni demandari facere, etiamsi sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu et mors inde sequatur, libere, et licite, et absque ullo censurarum Ecclesiasticarum, aut Irregularitatis incursu, possint, et valeant, dummodo tamen a Sententia in Causa Sanguinis per se ipsos ferenda omnino abstineant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quinta Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Exquiritur a præsenti indulto prolatio Sententiæ in Causis Sanguinis.

---

## CCVI.

Dat. die 17. April. 1761 Ann. tertio.

Exemptio Monasterii Græco-Albanensis Medijusti a jurisdictione Abbatis Provincialis Provinciæ Siculæ, illiusque immediata subjectio Abbati Generali Ordinis S. Basilii, jam decreta a prælaudato Abbate Generali, Apostolica auctoritate confirmatur, et observari a Superioribus, et Monachis præfatæ Provinciæ Siculæ expresse injungitur.

### Clemens Papa XIII.

### Ad futuram rei Memoriam

Abbas Generalis hujus Ordinis Monasterium Græco-Albanensem Medijusti, a jurisdictione Abbatis Provincialis Provinciæ Siculæ exemit, et prælaudati Abbatis Generalis

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt Venerabilis frater Josephus Schiro Archiepiscopus Dyrrachiensis, ad dilecti filii Epirotæ, seu Albanenses ritus Græci Regni Siciliæ ultra Pharum, quod dilectus etiam filius Alexander Aguado Abbas Generalis Ordinis Sancti Basilij Magni, Monasterium Græco-Albanense Medijussi dicti Ordinis, per suum Decretum, ab omnimoda jurisdictione Abbatis Provincialis Provinciæ Siculæ ipsius Ordinis exemit, et liberavit, prout ex decreto ejusdem Alexandri Abbatis constat, tenoris sequentis videlicet = Nos

pro tempore existentis jurisdictioni subjecit.

» Alexander Aguadus, Abbas perpetuus
» Sancti Nicandri, Regius Consiliarius,
» et Abbas Generalis totius Ordinis San-
» cti Patris Nostri Basilij Magni. = At-
» tentis instantia, et præcibus Nobis
» nuper expositis, per supplicem libel-
» lum hic annexum ab Illmo, et Rmo
» DD. Josepho Schirò Archiepiscopo
» Dyrrhachiensi nomine suo, ac etiam
» populorum Albanensium Græci ri-
» tus Orientalis in Regno Siciliæ exi-
» stentium super gravamina, quæ jam
» dudum patiuntur a notis Monachis
» Latinis Provinciæ Siciliæ ex causa
» Monasterii ejusdem ut supra Græci
» ritus, existentis in Oppido Albanensi
» Panormitanæ Diœcesis: Habito prius
» verbo, et benigne annuente, cum
» SSmo Domino Nostro Papa Clemen-
» te Decimo Tertio feliciter Regnante,
» cum consilio quoque, atque appro-
» batione Emi, et Rmi Domini Cardi-
» nalis Nostri Ordinis Protectoris, ad
» majorem Dei gloriam, pacem, et
» quietem in Domino supradictorum
» populorum supplicantium: auctorita-
» te, qua fungimur, nec non inhæ-
» rentes Bullæ erectionis prædicti Mo-
» nasterii, Decreto Sacræ Congregatio-
» nis Episcoporum, et Regularium,
» in causa jurisdietionali ejusdem Mo-
» nasterii, olim habita contra Panormi-
» tanum Archiepiscopum, ac ipsum
» Monasterium immediatæ jurisdictio-
» ni Abbatis Generalis Ordinis Nostri
» pro tempore adjudicanti: Inhærentes
» quoque sententiis, et decretis ema-
» natis a Tribunalibus Siciliæ pro eo-
» dem Monasterio, cæterisque etc. Sta-
» tuimus, sancimus, et declaramus,
» Monasterium Græco-Albanense Me-
» dijussi nunc, et in posterum omni-
» no exemptum a jurisdictione tam
» spirituali, quam temporali dictorum
» Monachorum Latinorum nostri Ordi-
» nis Provinciæ Siciliæ, et Nobis, ac
» Generalitiæ immediate jurisdictioni
» subjectum, distractum etiam a cæ-
» teris Monasteriis Provinciæ Siciliæ,
» atque uniendum, vel incorporandum
» cum aliqua ex nostris Hispanis Pro-
» vinciis ad mentem, salvis semper sal-
» vandis, nempe Ritu Græco Orienta-
» li, et primordiali iprius Monasterii,
» nec non juribus, clausulis, et condi-
» tionibus contentis in Testamento Fun-
» datoris, et in favorem Albanensium.

„ Datum in Collegio Sancti Basilj Magni de Urbe die III. Aprilis anni MDCCLXI. = Alexander Abbas Generalis = Abb. D. Blasius Ruffo Secret. Generalis = Loco ✠ Signi.

Pontifex supra relatum Abbatis Generalis decretum confirmat, et approbat.

§. 2. Quoniam autem exponentes prædicti, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertum ejusdem Alexandri Abbatis Generalis dicti Ordinis Sancti Basilii Magni decretum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint supplemus, et sanamus.

Quidquid contra præsentes Literas gestum fuerit annullat, et irritat.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

PræsentiumLiterarum observantiam Superioribus, et Monachis hujus Ordinis Provinciæ Siculæ expresse injungit.

§. 4. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis, omnibus, et singulis dictæ Provinciæ Superioribus, et Monachis, cæterisque, ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut Monasterium prædictum, illiusque Monachos Albanenses, præsentis gratiæ commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari permittant. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima septima Aprilis Millesimo, septingentesimo, sexagesimo Primo, Pontificatus Nostri anno Tertio.

---

## CCVII.

Dat. die 18. Aprilis 1761. Ann. III.

Eligibilitatis indultum ad Ecclesiam Hildesiensem assequendam, licet de Trevirensi jam provisum sit, concessisse, prælaudato Archiepiscopo Trevirensi significat, eumdemque hortatur quamcitius impedimenta removeat opposita contra Præposituram Limburgensem, de qua jam Sancta Sedes per Apostolicas literas difficultates cunctas composuerat.

*Literæ, quibus denegatur Cardinali e Ducibus Bavariæ indultum eligibilitatis ad Ecclesiam Hildesiensem relatæ a nobis sunt hoc Tom. II. sub num. CXCIV.*

Venerabili Fratri Joanni Philippo Archiepiscopo Trevirensi S.R.I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Indultum eligibilitatis ad Hildesiensem Ecclesiam concessisse significat, quod per negaverat Cardinali ex Ducibus Bavariæ.

§. 1. De sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Concistorialis, quibus petitionem tuam commissimus ponderandam, per alias Nostras literas in forma Brevis concedendum tibi fore censuimus eligibilitatis Indultum, quod vocant, ad Ecclesiam Hildesiensem ossequendam, si, quæ necessaria sunt ad legitimam electionem, in te Canonicorum suffragia convenerint. Hoc autem nulli antea uti arbitraris pro ea Ecclesia concesseramus; ac nisi in præsens, dilecto Filio Nostro Joanni Theodoro Cardinali e Bavariæ. Ducibus id ipsum roganti, eodem ipso Venerabilium Fratrum Nostrorum Conventu suffragante non tribuimus.

Quod sane Indultum hortatur, ut incitamento sit ad charitatis vincula erga S.Sedem magis, magisque constringenda, et controversias dirimendas, quoad Præposituram Limburgensem jam a S. Sede compositas.

§. 2. Sane hanc quoque gratificandi tui opportunitatem lubenter arripuimus, quo magis cognosceres quam Sincero charitatis affectu, Fraternitatem tuam complectamur, et novis quotidie vinculis cupiamus obstringere, nam et parem te vicem Apostolicæ huic Sedi redditurum fore confidimus non tantum in persona Nostra, verum etiam in Apostolico Nuncio, a quo eodem repræ-

sentatur, omnemque propterea conquestionis Causam, e medio sublaturum: maximam præterea spem in tua prudentia, ac sollicitudine repositam habemus, amotum iri quamcito ea impedimenta, quæ ad Limburgensem Præposituram quod attinet, postquam ea controversia semel ac iterum definita fuerat, Apostolicis literis objecta fuere, ut tandem qui ab Apostolica Sede provisus fuit, Beneficii sui pacificam teneat possessionem, Hierarchici Ordinis, quem Tibi cordi esse profiteris, vigor, ac dignitas in antiquo robore suo permaneat, atque is tandem, qui tantæ offensionis in causa est, conscientiæ suæ aliquando consulere, et Pontificiam benignitatem demereri queat. Tunc enim in dies avebimus magis te Apostolicæ benevolentiæ Nostræ argumentis ornare, damusque pignus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, peramanter largimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Aprilis MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 2. Maii 1761 Ann. tertio.

## CCVIII.

Applicatio, et assignatio redditnum superextantium, post impleta injuncta onera Confraternitatum Laicalium Civitatis, et Diœcesis Ariminensis, favore Seminarii, et Hospitalium Pauperum, et Peregrinorum ejusdem Civitatis.

### Clemens Papa XIII.

Dilecto Filio Episcopo Ariminensi

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem

Describitur infelix status redditnum Seminarii Ariminensis, nec non Hospitalium, infirmis, et peregrinis recipiendis.

§. 1. Exposuisti Nobis, quod tu postquam apud Cathedralem Ecclesiam Ariminensem, tibi a Nobis commissam, per aliquot temporis spatium commoratus fueras, pro bono Civitatis, et Diœcesis Ariminensis regimine, gubernio, administratione, commodo, et utilitate, tui muneris partes esse existimasti inter cætera, tam ad Seminarium Ecclesiasticum, quam ad Infirmorum, Peregrinorumque hospitalia in Civitate, et Diœcesi hujusmodi existentia animum intendere; incohata itaque Sacra Civitatis, et Diœcesis prædictarum visitatione, tum Seminarium, tum hospitalia hujusmodi personaliter adivisti, quæ non sine magna animi tui molestia ita annuis redditibus imparata esse, ac in ea positiva, ac inevitabili necessitate illorum rationibus prompte consulere reperisti; pro eo vero, quod ad Seminarium pertinet, in primis, et ante omnia animo perpendens, propter parvam assignationem triginta, quæ primo Magistro Rhetoricæ, et duodecim scutorum Monetæ Romanæ, Magistro Grammaticæ, præter esculenta, et poculenta dumtaxat præbentur, viri ad id habiles, et capaces minime inveniuntur, et haberi possunt, pro ut re ipsa, cum officium Magisiri Rhetoricæ ejusdem Seminarii interea vacavisset, tu ut virum idoneum habere valeres, ac utilitati, et commodo dicti Seminarii consuleres, Magistrum Seminarii Ecclesiasticis Faventini tamquam ortum in Diœcesi Ariminensi vocari facere curasti, qui licet summam sexaginta scutorum parium ex Seminario Faventino perciperet, nihilominus munus Magistri prædicti in tuo Seminario prædicto, absque ulla assignatione a te facta, explere pergit, sub spe, quod tu honorarium stipendium congruens, altero per eum relicto assignare possis, licet id exequi posse non speres de presenti, attamen necessarium, opportunumque esse existimaveris dictum Magistrum habere, facta consideratione præcipue, et principaliter, quod ex doctis Magistris non solum decor, verum etiam commodum, et utilitas Civitatis, et progressus studentium positi existunt, et revera in Seminariis Ecclesiasticis Civitatum propinquarum, Magistri stipendium, non solum sexaginta scutorum, verum etiam majoris summæ percipiunt, ac insuper reperisti, quod ex ista tua amplissima Diœcesi, in qua inter, quinquaginta duo Castra, et Terras, ac centum viginti Parochiales Ecclesias, absque illis, quæ in Civitate existunt, ex quibus sexaginta septem millium tercentum septuaginta quinque circiter personæ numerantur, novem dumtaxat Alumni in Seminario prædicto gratis de præsenti reperiuntur, et alimenta suppeditantur, imo perpenso ejusdem Seminarii moderno statu, nempe annuo redditu etiam vulgo *delle Dozzene* ac exitu, sive expensis victus pro omnibus in dicto Seminario degentibus, expensæ necessario faciendæ, summam centum septuaginta quatuor scutorum circiter illius redditus excedunt, quare tu cogaris medietatem Alumnorum, qui inibi gratis aluntur minuere, sive dimittere, ne

Seminarium prædictum, ære alieno magis magisque gravetur, ex quo inde evidens detrimentum oriri videatur Adolescentibus optimi ingenii, qui propter ægestatem, nec in Civitate, neque in Seminario literas discere nequiverint.

Fabrica Seminarii Ariminensis, propter angustiam, incapax erat ad Alumnos in sufficienti numero recipiendos, custodiendosque.

§. 2. Præterea Fabrica dicti Seminarii valde angusta, duobus Dormitoriis dumtaxat confecta remanet, quorum unum plusquam satis commodum solum dici potest, dicta vero Dormitoria viginti quinque Juvenes, etiamsi lectus fere inter se conjuncti, et vicini existant, vix capiunt, et attento commodi defectu, dictum Seminarium plures alios Juvenes, prout ingens Diœcesis prædictæ amplitudo requirit, retinere nequit, itaut necessitas postulat, ut dicti Seminarii Fabrica, saltem ad commodum quinquaginta Juvenum, augeatur, addens etiam, quod propter angustiam dicti Seminarii, Juvenes æstivo præsertim tempore valde patiuntur, ex quo factum est, ut quamplurimi in morbum incidant, eaque de causa ante tempus incoata studia, quibus incumbunt, non sine maximo eorum præjudicio relinquere coguntur, demum similis angustia in scholis existit, quæ eo in situ constructæ sunt, ut Clerici, et Sæculares extra memoratum Seminarium degentes, et ad illud accedentes ratione studiorum, inter domicilia Seminaristarum transire omnino debent, idque vero minime convenire videtur, nam occasio præbetur, ut Sæculares, et Clerici prædicti una cum ejusmodi Seminaristis tractent, et versentur, quod, habita consideratione, omnino evitari necesse est.

Episcopus Ariminensis consilio assumpto Moderatorum Seminarii, duxit utrisque posse urgentiis prospicere ex superextantibus redditibus Confraternitatum Laicorum, post eisdem injunctorum onerum implementum.

§. 3. Ut autem hisce incommodis aliquod remedium afferre, et prædicti Seminarii indemnitati consulere valeas, convocata prius coram te peculiari Canonicorum, et Rectorum Parochialium Ecclesiarum, qui deputati, ac Moderatores ipsius Seminarii electi existunt, nec non Canonicorum Convisitatorum serio, et pluries perpensis supradictis expressis indingentiis non minus, quam modo, et quomodo illis consuli possit, post nonnullas considerationes, dicti Canonici, et Deputati existimarunt, nullum alium fere modum existere, quam recurrere ad loca pia, et Confraternitates ejusdem Civitatis, et Diœcesis, prout jam ab usque anno MDCCLVI. bo: me: Marcus Antonius, dum vixit Episcopus Ariminensis, tempore Visitationis per Revisores, seu Recognoscentes Deputatos, omnium, et singularum Confraternitatum, et Locorum Piorum Diœcesis hujusmodi annuos redditus, et expensas, æqua Judicis lance ponderare mandaverat, et tunc compertum fuit, quod pecuniæ exactæ, et inexactæ, summam bismille nongentorum octuaginta sex circiter scutorum monetæ Romanæ constituebant, quodque demptis expensis necessariis, et voluptariis inter dictas Confraternitates, et Loca Pia, de anno in anno septingenta quinquaginta circiter scuta paria exuperabant; in examine vero dictorum annuorum fructuum, redditutuum, et proventuum, nec non expensarum ejusmodi Confraternitatum, et Locorum Piorum demandato, Loca Pia, et Confraternitates ejusdem Civitatis compræhensa minime fuerant, inter quas, et quæ, quamplurima annuis redditibus satis provisa existunt, dictumque examen præscripsit, ac mandavit, ad hoc, ut fel. rec. Benedicto Papæ XIV. prædecessori Nostro exhibere posset, ut facultatem sibi tribueret, dictos superextantes fructus, ac redditus hujusmodi Confraternitatum, et Locorum Piorum, et quæ in posterum superesse possent, impendendi, erogandique in commodum, utilitatemque, et necessitates dicti Seminarii; id vero, attento ipsius Marci Antonii Episcopi obitu, exequutioni minime demandatum fuit, animo perpendendo, quod una ex dictis superextantibus fructibus in augmentum assignationis Magistris dicti Seminarii, alia pro manutentione aliorum Alumnorum gratis, et aliorum Convictorum, prævia tamen solutione medietatis summæ pro Convictoribus præscriptæ, singulis annis solvendæ, nominandorum ab illis Locis Piis, et Confraternitatibus, quæ superextantes annuos fructus prædictos suppeditarent, et reliquæ demum partes in augmentum Fabricæ ipsius Seminarii, et commoditates Alumnorum, et Scholarum, ac in dissolutionem æris alieni, seu censuum, quibus Seminarium prædictum pro dictæ Fabricæ constructione facienda gravaretur, ac in extinctionem eorumdem Censuum impendi, et erogari omnino deberent,

Et hospitalia infirmorum, atque peregrinorum haud satis dotata redditibus, ex superextantibus illis Laicorum Confraternitatum, juvari posse Ariminensis Episcopus putavit.

§. 4. Quod vero ad Infirmorum, et Peregrinorum Hospitalia spectat, utraque subsidio egent, illud vero Peregrinorum majori ægestate, quippe quod paucis annuis redditibus provisum remanet, nullusque fere modus servandi lectus, resque lintearias, aliaque necessaria pro dictorum Peregrinorum hospitio; aliud vero Infirmorum hospitale, singulis annis, ære alieno magni momenti gravatum remanet, attento, quod illius annui redditus pro necessariis In-

firmorum expensis minime sufficiunt, ut autem tu, tot tantisque eorumdem Seminarii, ac Hospitalium prædictorum necessitatibus aliaque in parte consulere valeas, Nobis supplicasti, ut tibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Facultatem tribuit Pontifex Ariminensi Episcopo, præconceptam redituum superextantium erogationem explendi favore Seminarii, et Hospitalium prælaudatæ Civitatis, datis nonullis præceptis.

§. 5. Nos igitur, qui illius vices, licet immeriti, gerimus in Terris, qui charitatis, et misericordiæ officia in pauperes, et infirmos collata, tanquam sibimetipsi tributa commendat, cæterisque præmiis remuneratur, ac in iis etiam, quæ ad meliorem Adolescentium in Seminariis Ecclesiasticis commorantium institutionem, ac præsertim in doctrinarum studiis promovendam conferre possunt, Nostræ sollecitudinis partes propensius impartimur, ex præmissorum consideratione persuasum habentes, eorumdem Hospitalium indemnitatem, ac manutentionem, nec non Seminarii ampliationem, ad promovenda Christianæ pietatis opera, utilissima fore; ideo Circumspectionem tuam in laudabili proposito hujusmodi confovere, ac specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuis Nobis porrectis inclinati, attentis expositis, ac prævia in præmissis matura deliberatione Nostra, Circumspectioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut ad opportunum, aptumque ædium Seminarii Ecclesiastici prædicti, et annuorum illius redituum, pro manutentione majoris numeri Alumnorum necessarium augmentum, nec non ad occurrendum indigentiis, quibus dicta duo Hospitalia in Civitate Ariminensi erecta, alterum scilicet Infirmis, reliquum Peregrinis excipiendis destinata præmuntur, non solum pecunias, quas actu existentes apud quascumque Laicorum Confraternitates in dictis Civitate, et Diœcesi, canonice, ut asseritur, erectas, et institutas (iis tamen Confraternitatibus semper exceptis, quæ ex earum instituto, vel ex laudabili consuetudine redditus suos in Pauperum usus erogare consueverant) post adimpleta onera quæcumque sive a piis testatoribus, vel propriis respective statutis relicta, veluti superextantes, ac superfluos, et superfluentes repereris, sed etiam successivos annuos fructus, redditus, et proventus, ad easdem Confraternitates quomodocumque, et quandocumque spectantes, quos adimpletis, ut præfertur, omnibus oneribus, et obligationibus, quotannis superfluere comperes, sive illi in prophanos, sive etiam in pios usus, dummodo a testatoribus non præscriptos erogari consueverint, auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium addicere, et applicare, verum etiam super illarum annuis fructibus, redditibus, et proventibus quibuscumque, ac unicuique ex prædictis Confraternitatibus pecuniariam, pensionem annuam per dilectos filios modernos, et pro tempore earumdem Confraternitatum existentes Officiales, et Confratres statutis temporibus per Circumspectionem tuam præfigendis, persolvendam, et in superius enunciatos, non tamen in alios usus, juxta datam tibi a Domino prudentiam, tantummodo impendendam, et erogandam, quæ quidem pensio, liquidatæ prius superfluentium, et superextantium annuorum fructuum, reddit(uum), et proventuum quantitati respondeat, assignare, imponere, et reservare libere, et licite possis, et valeas, ac impositam pensionem suo tempore persolvi, ac exigi facere mandes, cures, et facias; ea tamen conditione, ut pecuniarum actu superextantium, et annuorum superfluentium redituum liquidatio, nec non correspectiva pensionis quotannis solvendæ taxa, per Circumspectionem tuam, prævio maturo examine, de consilio proborum Virorum, auditisque propriis uniuscujusque Confraternitatis Officialibus, seu Administratoribus, fieri debeat.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstante, quatenus opus sit quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictarum Confraternitatum, ac Civitatis prædictæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expres-

se derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die secunda Maij Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo, Primo, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 5 Maii 1761. Ann. III.

## CCIX.

In Canone Missæ post mentionem factam Romani Pontificis, et Diœcesani Antistitis, nomen Imperatricis Reginæ, ejusque Conjugis nuncupari permittit in Regnis Hungariæ, Bohemiæ et in universis Austriacæ Domus Ditionibus, hancque gratiam, ad quoscumque legitimos in illis Dominationibus successores, perpetuo extendit.

*Apostolici titulum Hungariæ Regibus in perpetuum concessum a Clemente XIII. fuisse, referunt illius Constitutio Anni 1758. Augusti 19, itemque alloquutio in Consistorio die 1. Octobris anni ejusdem, quas dedimus in Tom. I. præsentis continuationis sub num. V, et XVII.*

Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ Reginæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ Reginæ Illustri in Romanorum Imperatricem electæ.

### Clemens Papa XIII.

Carissima in Christo filia Nostra, salutem, et Apostolica Benedictionem

Preces porrectæ ab Archiepiscopo Viennensi in Austria super hac mentione in canone Missæ facienda.

§. 1. Flagitavit jampridem a Nobis, Literis suis, Venerabilis Frater Christophorus Viennæ in Austria Archiepiscopus, ut in canone Missæ, post mentionem factam Romani Pontificis, et Diœcesani Antistitis, nomen Tuum nuncupari permitteremus, et una simul carissimi Conjugis Tui Francisci in Romanorum Imperatorem electi, Nostri in Christo æque carissimi Filii, quem non vitæ consuetudinis tantum, sed totius regiminis socium, atque participem effecisti, atque id ipsum legitimis in utroque Regno successionibus Tuis concederemus: etsi autem nihil est quod spectatissimo nomini Tuo debere Nos non existimemus, nihil quod pro singulari, ac vere paterna benevolentia conferre Tibi maximopere non cupiamus, nihilominus quia res gravissima videbatur, ac nova, hæsimus diu, atque substitimus, facile arbitrati, pro Tua eximia pietate, ac prudentia, ipsam Te nolle, ut gratificandi Tui causa, quidpiam Ecclesiasticis regulis minus consentaneum admitteremus.

Imploratum privilegium jam ab immemorabili in usu erat in Regnis Hungariæ, et Bohemiæ.

§. 2. Sed quum idem Ven. Fr. postmodum renunciavisset, consuetudinem hanc nominandi Reges ab antiquissimo tempore, cujus originis memoria non est, tam in Hungaria, quam in Bohemia obtinere, tum animadvertimus, rem non esse de novo privilegio largiendo, sed de veteri potius in reliquas Majestatis Tuæ Imperio subjectas regiones extendendo.

Apostolica Sedes numquam improbavit antiquissimos usus comendandi Reges in precibus, eorumque nominibus appellandi in canone Missæ.

§. 3. Cum igitur Apostolica Sedes improbaverit numquam antiquissimos usus commendandi Reges, non mente solum, sed propriis etiam in canone recitatis nominibus, dummodo spiritum unitatis in vinculo pacis cum Ecclesia Romana servarent, gavisi maxime fuimus, petitionem hanc Ecclesiasticæ disciplinæ haud videri contrariam, Tuisque propterea votis Nos posse indulgere: nam ut quam multa ommittamus Austriacæ Domus præclarissima merita, quæ Hungariam adversus infensissimos Christianorum hostes veluti firmissimum aggerem, ac munitissimum vallum semper opposuit, effecitque ut Catholica Religio in Bohemia, cæterisque hæreditariis provinciis invicta regnaret, quæ alia Romanæ Ecclesiæ piissima Filia, Pontificæ benevolentiæ pignora demereri magis poterit, quam quæ florentibus armis, ad utriusque Regni solium evecta, miram innocentiæ, et Christianæ pietatis laudem, cum summa imperandi sapientia conjuxit, quæ cœlesti benedictione ter inaugurata est, atque honorifica Reginæ Apostolicæ appellatione sub initium Pontificatus Nostri, condecorata?

Consuetudo recitandi in canone Missæ nomen Mariæ Theresiæ tam in Hungaria, quam in Bohemia confirmatur, et ad cæteras Austriacas Ditiones extenditur, etiam pro prælaudatæ Mariæ Theresiæ conjuge.

§. 4. Quibus ex causis, Apostolicæ authoritatis Nostræ calculo, consuetudinem, quæ obtinet in Hungaria, et in Bohemia nominis Tui in canone Missæ recitandi, usque dum Majestatis Tuæ vita, quam diutissimam apprecamur, superstes erit, præsentium tenore approbamus, ratam habemus, et confirmamus, atque ut nomini Tuo superaddatur nomen carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Conjugis Tui, ac regimis socii de novo largimur, atque concedimus, utque idipsum fieri possit in aliis Archiducatibus, Ducatibus, Provinciis, et locis ad Dominium Tuum pertinentibus, ita ut post mentionem factam Romani Pontificis, et Episcopi Diœcesani, in eodem canone, hæc præs-

cripta verba dicantur = et pro Regina nostra Maria Theresia, et Francisco in Romanorum Imperatorem electo ejus Conjuge, et socio regiminis = de benignitate pariter Apostolica permittimus, et indulgemus.

Privilegium hoc extenditur ad successores cunctos legitimos in Ditionibus ipsis, dummodo sint sacra Ecclesiæ unctione inaugurati.

§. 5. Præterea, futuris temporibus, ut legittimi Successores Tui in prædictis Hungariæ et Bohemiæ Regnis sive masculi, sive fæminæ, dummodo cœlesti benedictione, et sacra unctione juxta consuetas cæremonias, ut Reges ac Domini, sive ut Reginæ ac Dominæ inaugurati, vel inauguratæ fuerint, non tam in iisdem Regnis superius memoratis, quam in aliis Provinciis, Urbibus, ac Locis eorum dominationi pleno jure subjectis, nullo tamen addito Conjugis nomine, si quem, vel quam habuerint, quod Majestati Tuæ, et Augustissimo Conjugi socio regiminis specialissimum volumus, per hæc tantum verba = Pro Rege nostro si fuerit masculus, pro Regina nostra, si fuerint fæmina, in eodem canone Missæ nominari possint pari authoritate, perpetuo concedimus, et indulgemus: decernentes præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, quibuscumque non obstantibus.

Preces ad Deum fundit Pontifex pro Austriacæ Domus prosperitate, in Romanæ Ecclesiæ utilitatem, et defensionem.

§. 6. Ascendant igitur tot millium Sacerdotum preces, ac vota sicut incensum aromatum in conspectu Domini, exaudiatque de Templo Sancto suo voces eorum, et cœlestis gratiæ suæ donis, sic Majestati Tuæ, Augustissimo Conjugi, Lectissimæ Soboli propitius adsit, ut cogitationes omnes, atque consilia Vestra referantur ad æterni sui nominis laudem, ad incrementum Catholicæ Fidei, ad Romanæ Sedis dignitatem tuendam, a quibus neque æterna salus Vestra, neque Regnorum Vestrorum fælicitas poterunt esse disjunctæ: Quæ dum ferventissimis precibus exoramus Apostolicam Benedictionem Tibi, Carissima in Christo Filia Nostra, Augustissimo Conjugi, et Liberis omnibus amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die v. Maij MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

## CCX.

Dat. die 6 Maii 1761 Ann. III

Universis per Hungariæ, Bohemiæ, et Austriacæ Domus Ditionibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ordinariis, indultum nominationis Mariæ Theresiæ Austriacæ, ejusque Conjugis in canone Missæ, post Pontificis, et Diœcesani Antistitis nomen, significat, illiusque comittit exequutionem.

Venerabilibus Fratribus ac dilectis Filiis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, aliisque locorum Ordinariis in Regnis Hungariæ, et Bohemiæ, cæterisque Archiducatibus, Ducatibus, et locis Austriacæ Dominationi subjectis.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres,
et dilecti Filii salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Ab Apostolis ipsis comendatæ fuere preces, et orationes pro Regibus, et Principibus in sanctæ Missæ sacrificio, idque a Romana Sede constanter probatum.

§. 1. Quod Apostolus in prima ad Timotheum epistola non hortatur solum, sed obsecrat, ut Orationes, postulationes, gratiarum actiones fiant pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt ad quietam, et tranquillam vitam in omni pietate, et castitate agendam, religiose adeo, fideliterque retinuit Ecclesia Catholica, ut Omnipotenti Deo, per quem Reges regnant, et legum Conditores juxta decernunt, subliminiores potestates non commendaverit modo, verum etiam propria quarumdam nomina, infra Missæ actionem, sacris in Diptychis recitari permiserit, earumque regionum consuetudines nunquam improbaverit, in quibus id more antiquissimo, receptum fuisse constaret.

Postulationes factæ exponuntur pro adprobatione consuetudinis nominandi in Missa Hungariæ, Bohemiæ Reges, et Austriacæ Domus Dinastes in aliis ditionibus.

§. 2. Cum itaque Ven. Fr. Christophorus Viennæ in Austria Archiepiscopus Nos certiores fecisset, consuetudinem hanc in Hungariæ, et Bohemiæ Regnis jamdum obtinuisse, ac bene conscius, sacro Missæ canoni aliis in locis, ubi non adest, nihil adjungi posse, nisi de speciali Romani Pontificis permissu, enixe postularet, ut in cæteras etiam Austriacæ Dominationis Provincias induceretur, addito carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ nomini, carissimi pariter in Christo Filii Nostri Augustissimi ejus Conjugis, et socii regiminis nomine, ejusmodi precibus, matura deliberatione

præmissa, annuendum esse censuimus per literas in forma Brevis, quarum hic exemplum describimus = ( Literæ sunt, quas retulimus superiori numero )

Pontifex literarum Apostolicarum super nominatione prælaudata in canone Missæ exequutionem, universis Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ordinariis in Austriacis ditionibus existentibus committit.

§. 3. Quamobrem, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, cum per istam Ditionem omnem idem ubique vigeat studium, et amor Austriacæ Domus, una eademque sit subditorum omnium voluntas, et animus, nihil a vobis pariter expeti magis existimantes, quam ut cuncti Sacerdotes Diœcesium vestrarum, qui populorum interpretes sunt apud Dominum, eorumque deferunt vota in conspectu Divinæ Majestatis, in sacrificiis suis quotidie flagitarent, ac quasi contenderent, ut Augustissimi Conjuges de rore Cæli, et de pinguedine Terræ benedicantur, sollicitudini vestræ injungimus, atque mandamus, ut præinsertas literas Nostras, quæque in eis de benignitate Apostolica indulsimus, quamprimum exequi diligenter faciatis. Ut autem, sicuti maxime convenit in Sacro Missæ Canone unius sint oris, ac labii in iis nominibus inibi enunciandis, unusquisque vestrum, in sua Diœcesi, Presbyteris omnibus utriusque Cleri tam Sæcularis, quam Regularis, quacumque gaudeant exemptione, vel speciali mentione indigeant, præcipiet, atque mandabit, ut post mentionem factam Romani Pontificis, ac Diœcesani Episcopi, præscriptam in superius exaratis Apostolicis literis formulam, adamussim recitent, ita ut nemo cujuscumque ordinis, gradus, aut dignitatis existat, quovis prætextu sese excusare, vel eidem formulæ quidquam addere, vel detrahere possit. Futuris vero temporibus eadem omnino rite serventur, quæ iisdem in Literis fieri, atque observari debere statuimus, quibuscumque non obstantibus, atque intera Apostolicam Benedictionem Nostram peramanter largimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Maji MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

## CCXI.

Dat. die 9. Maii 1761 Pont. Ann. III.

Peculiares dispositiones quoad Abbatiam B. M. de Abbundantia Diœcesis Gebennæ, ad Monachos Ordinis S. Bernardi Congregationis Fuliensis spectantem, de Jurepatronatus Regis Sardiniæ uti Sabaudiæ Ducis.

*Literæ in forma Brevis S. M. Pauli V. dierum 18. Septembris 1606. , e 9. Maii 1607., quibus Abbatia hæc, olim ad Canonicos Regulares S. Augustini pertinens, concessa fuit Monachis Ordinis S. Bernardi Congregationis Fuliensis, non reperiuntur impressæ in Bullario Mainardi.*

Clemens Papa XIII.

Venerabili Fratri Episcopo Gebbennensi, seu illius Vicario Generali

Venerabilis Frater,
seu dilecte Fili, salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Abbatia B. M. de Abbundantia in Gebennensi Dioecesi, in qua olim duodecim Canonici Regulares S Augustini inhabitabant; deinde inhabitata fuit a duodecim Monachis Ordinis S. Bernardi Congregationis Fuliensis.

§. 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis Illustris Nobis expositum fuit, quod in ista Diœcesi Gebennensi, Abbatia Beatæ Mariæ de Abundantia nuncupata, de jurepatronatus ( ut asseritur ) ipsius Caroli Emanuelis Regis, uti Sabaudiæ Ducis fundata, ac sita reperiatur, quæ in Commendam ad vitam concedi solet, suumque Monasterium cum annexa Ecclesia habet, in qua ab initio duodecim Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini residebant, donec, et quousque in eorum locum, a Sancto Francisco Salesio, tunc existente Episcopo Gebennensi, vigore quarumdam fel: rec: Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis die XXVIII. Septembris MDCVI. expeditarum literarum, et subinde nempe die VII. Maij Anni MDCVII. duodecim Monachi Ordinis Sancti Bernardi Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis substituti, ac suffecti, et introducti fuerant, prout etiam nunc de præsenti existunt.

Imminutis deinde redditibus Abbatiæ, qui tunc temporis eam in commendam obtinuerat, S. M Benedicto XIV. preces porrexit pro nonnullis reformationibus in utilitatem Abbatiæ, et Monachorum.

§. 2. Attenta vero conspicua, ac magni momenti fructuum, reddituum, et proventuum Abbatialium, seu Abbatiæ prædictæ imminutione bo: me: Petrus, dum vixit S.R.E. Presbyter Cardinalis Guerin de Tencin nuncupatus, qui tunc temporis Abbatiam prædictam sibi ad sui vitam in Commendam concessam obtinebat, prævio tamen ipsius

Caroli Emanuelis Regis assensu, fel: rec. Benedicto Papa XIV. prædecessori itidem Nostro supplicavit, quatenus non solum eo quod ipse Petrus Cardinalis tunc potiebatur, suppeditando dictis duodecim Monachis in Monasterio hujusmodi degentibus sumptus necessarios, verum etiam majori, quod alios pro tempore existentes Abbates Commendatarios in posterum pati contigeret; detrimento, attento, quod fructus, redditus, et proventus hujusmodi magis magisque imminui videbantur: idem Benedictus prædecessor, negotium hujusmodi ad bo: itidem me: Joannem Jacobum, dum pariter vixit S.R.E. prædictæ Cardinalem Millo nuncupatum tunc temporis suum Auditorem, perpendendum remisit, qui subinde una cum dilecto filio Nostro Alexandro ejusdem S.R.E. Diacono Cardinali Albani nuncupato, tamquam Regni Sardiniæ Protectore, ac dilecto filio tunc existenti Abbate Generali Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, ac Venerabili Fratre Francisco nunc Episcopo Tiburtino, tunc ejusdem Petri Cardinalis Auditore, quamplurimos ea super re habuit congressus; depulsis demum quibusvis inde exortis dubiis, omnia eidem Benedicto prædecessori retulit, et vigore relationis planum factum fuit pro cessione, et expeditione quarumdam literarum Apostolicarum sub certis modis, et conditionibus in literis prædictis, quæ tunc expediri debebant, exprimendis, quæ animo tendebant ad tuta, et secura reddenda jura ejusdem Abbatiæ, prout etiam utilitatem, decentiam, et commodum Monachorum ipsius Monasterii, quæ quidem concessio, propter bella ea in regione mota, minime exequuta fuit.

Vita functo Benedicto XIV quin propositæ reformationes suum fuerint effectum sortitæ, novas provisiones proposuit Carolus Emanuel Sardiniæ Rex in cujus Ditionibus Abbatia reperiebatur.

§. 3 Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Carolus Emanuel Rex, provisionem a memorato Benedicto prædecessore, instante dicto Petro Cardinali, super præmissis captam, sub eisdem modis, et conditionibus tunc concordatis, alteraque insuper adjecta circumstantia, prout ipse Carolus Emanuel Rex per suas literas Nobis animum suum aperuit, alias propositiones in posterum Nobis faciendi, super applicatione fructuum, ac redditum, proventuumque Abbatialium, per quam Divini cultus augmento, Catholicæ Religionis propagationi, et Catholicorum confirmationi utilius prospiciatur, exequutioni demandari posse plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Propositas a Carolo Emanuele provisiones Pontifex approbavit, et Ordinario Gebennen pro exequutione comisit.

§. 4. Nos igitur piis ejusdem Caroli Emanuellis Regis votis, hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, suumque studium plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito etiam dilecto quoque filio moderno Abbate Generali memoratæ Congregationis Reformatæ S. Bernardi, qui suum etiam in præmissis consensum præstat, Fraternitati tuæ, Frater Episcope, de cujus fide, prudentia, integritate, vigilantia, et Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, seu discretioni tuæ Fili Vicari, per præsentes committimus, et mandamus. = Che essendo vero l' esposto, riduca le dodici Prebende de Monaci Bernardoni a sei solamente.

Monachorum Præbendæ ad sex tantummodo reducuntur.

» Che assicuri nelle forme più » valide l' annua somma di Lire 300. » di Savoja, o sia di scudi Sessanta » moneta Romana per ciascuna Prebenda; cosicchè abbiamo i Monaci Prebendati l' annuo assegnamento di Lire 1800. di Savoja.

Cuicumque præbendæ assignatur annuus redditus Scut. sexaginta.

» Che i medesimi sei Monaci » Prebendati si trasportino al Monastero Priorale di Lemens, appresso Chambery dello stesso Ordidine, » ed ivi siano sempre mantenuti col » predetto assegnamento di Lire 1800. » di Savoja da pagarsi loro ogni anno, a ragione di lire 300. per ciascheduno: E rispetto agli altri sei » Monaci, che risiedono nel Monastero dell' Abbondanza, sarà cura del » Padre Abbate Generale di collocarli » in altri Monasterj della Congregazione Fogliense.

Sex Monachi de prædictis Præbendis provisi, ad Monasterium Priorale Lemense transferuntur, reliqui sex dispertiendi sunt ab Abbate Generali in aliis Coenobiis Congregationis Fuliensis.

» Che nel Monastero dell' Abbondanza, in luogo de Monaci di » San Bernardo, si deputino trè Sacerdoti, uno perpetuo, che amministri la Cura delle anime del Castello dell'Abbondanza, gli altri due » in qualità di Vicarj, ossia assistenti del Parroco, ad nutum amovibili, da nominarsi dall' Abbate Commendatario pro tempore, ovvero dal » Rè di Sardegna, quando l' Abbadia, » per l' esecuzione de progetti di sopra » accennati, che Sua Maestà si riserva » di proporre, non dovesse più commendarsi; E che i detti Preti, oltre » la Cura delle anime, siano tenuti » alla celebrazione delle Messe, ed all' » adempimento di tutti i pesi, che sono annessi all' Abbadia, con desti-

Curæ Animarum, et onerum implemento prospicitur trium Sæcularium Præsbyterorum deputatione.

» nare a ciascheduno de medesimi una
» quota congrua, e proporzionata ai
» pesi, e fatiche, secondo la consue-
» tudine del Paese.

*Monachus Congregationis Fulciensis perpetuo eligendus cum titulo, et honoribus Abbatis Abbundantiæ.*

» Ed acciò le predette cose suc-
» cedano con la possibile convenienza,
» e col minore aggravio, e pregiudi-
» zio de' Monaci, dovrà determinarsi,
» che si continui perpetuamente ad eleg-
» gere un Monaco della Congregazio-
» ne di San Bernardo, che sempre
» sia, e si chiami Abbate dell' Ab-
» bondanza, e come tale intervenga a
» tutti i Capitoli Generali, e Diete, e
» goda a somiglianza degli altri Ab-
» bati della voce attiva, e passiva, e di
» tutti i privilegj, e prerogative, con-
» forme ha goduto finora.

*Peculiares dispositiones quoad stabilia, credita, et mobilia ad Abbatiam B. M. de Abbundantia spectantia tum favore Abbatiæ, tum etiam favore Monachorum.*

» Sarà cura tua di conoscere tutti
» i fondi, censi, case, e altro posseduto
» da Monaci, e i titoli del possesso:
» costandoti, che sieno stati loro la-
» sciati col peso della celebrazione del-
» le Messe, o con qualche altro so-
» migliante obbligo, in tal caso dovran-
» no lasciarsi a commodo dell' Abba-
» dia, col peso della soddisfazione de-
» gli obblighi medesimi. Mà quando
» gli stessi Fondi, o alcuni di essi fos-
» sero stati lasciati liberamente ai Mo-
» naci, e senza verun peso, o quegli
» fossero stati acquistati co' proprj av-
» vanzi, dovrà loro permettersi di ven-
» derli, alienarli, e farne qualunque con-
» tratto a proprio talento; conforme
» di portar via, o vendere tutti i mo-
» bili, che hanno, come biancheria da
» Tavola, e da Letto, Coperte, Tor-
» naletti, Stagni, Vasi di Rame da
» Cucina, Quadri, e la Libreria, co-
» me anche le provvisioni, che si tro-
» vassero avere nel Monastero, di Grà-
» no, Farina, Vino, Fieno, Biada, e
» cose simili; come pure i Buovi, Ca-
» valli, Pecore, Capre, e qualunque
» sorta di Bestiame, che si troverà ne
» beni da lasciarsi dai Monaci, purchè
» non si provasse, che nel primo lo-
» ro ingresso nell' Abbadia avessero avu-
» to l' equivalente dagli Abbati Com-
» mendatarj; di più sarà loro permesso
» di portar via a discrezione, ed arbi-
» trio tuo qualche Parato di quegli,
» che esistono nella Sagrestia, per ser-
» virsene nel Monastero di Lemens,
» ove parte della Famiglia dovrà tran-
» sferirsi: Finalmente potranno essi li-
» beramente disporre delle Botti esisten-
» ti si nel Monastero dell' Abbondan-
» za, che in Maresches, con lasciar-
» ne una porzione, che sia meramen-
» te necessaria per uso dei trè Sacer-
» doti Secolari, che dovranno succede-
» re nell' Abbadia; e con dichiarazio-
» ne, che costandoti, che i Monaci
» medesimi nel primo loro ingresso
» nell' Abbadia fossero stati provveduti
» delle Botti dagli Abbati Commenda-
» rj, debbano essi lasciarne per la quan-
» tità corrispondente.

*Aliæ dispositiones pro iis, quæ Monachi impenderunt pro Ecclesiæ, et Monasterii reparationibus, et pro ære alieno ex prædictis causis contracto, atque nondum extincto.*

» E siccome negli anni addietro
» dovettero i Monaci con gravi spese,
» e con prendere denaro a usura, ri-
» parare alle ruine della Chiesa, e Mo-
» nastero dell' Abbadìa, che rimasero
» incendiati, sarà cura tua di liquidare
» le spese, che essi fecero per la ri-
» parazione, con ordinare successi-
» vamente la reintegrazione de me-
» desimi della quota spettante all'Ab-
» bate Commendatario, qualora non
» fossero già stati reintegrati o in tut-
» to, o in parte, e con liberarli da
» quel debito per tal causa contratto,
» che per anche non fosse stato estin-
» to, mettendo a carico dell' Abbate
» Commendatario, ovvero di chi in luo-
» go degli Abbati Commendatarj venis-
» se surrogato in caso, che l' Abbadia
» non dovesse più commendarsi, e che
» delle sue rendite venisse fatto qual-
» che altro uso, o applicazione.

*Mandatur ut quotannis ex redditibus Abbatiæ persolvantur Monachis Fuliensibus scuta Viginti quinque inter Procuratorem Generalem, et Abbatem titularem dispertienda.*

» Finalmente sarà giusto di dare
» qualche compenso ai Monaci Foglien-
» si, per rapporto alla tassa di annui
» scudi quaranta, alla quale soggiace-
» va l'Abbadia dell'Abbondanza, spe-
» cialmente verso il Procurator Genera-
» le della loro Congregazione, e che
» ora dovrà andare a carico de Monaci
» medesimi; conforme anche rispetto
» ai scudi ottanta, che ogni dieci anni
» dovranno pagarsi all' Abbate Titolare
» dell' Abbondanza, per portarsi alle
» Diete, e Capitoli soliti; perciò oltre
» l'anzidetta annua somma di Lire 1800
» di Savoja, dovranno pagarsi ai Mona-
» ci cento venticinque Lire parimenti di
» Savoja ogni anno, dall'Abbate Com-
» mendatario, ovvero da chi sarà, co-
» me sopra in suo luogo surrogato.

*Superiorum dispositionum exequutio committitur Episcopo Gebennæ.*

§. 5. Auctoritate Nostra Apostolica
assignes, statuas, decernas, concedas,
et exequaris. Nos enim plenam, libe-
ram, et absolutam circa præinserta
omnia, licentiam, facultatem, et aucto-
ritatem faciendi, gerendi, et exequen-
di tibi tribuimus, et impertimur. Nec
non illa omnia, et singula, ex nunc prout
ex tunc, et e contra, postquam a te sic
acta, gesta, decreta, concessa, et sta-
tuta fuerint, ac quodcumque Instrumen-
tum per te super præmissis conficien-
dum, cum omnibus, et singulis obliga-

tionibus, promissionibus, clausulis, et cautelis, aliisque universis in eo contentis, expræssis, et inde sequutis, et sequendis quibuscumque, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, ac quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, et sanamus.

Ad præfatorum observantiam AbbasGeneralis, Abbas Comendatarius, et Monachi adiguntur, sublata quacumque aliter judicandi facultate.

§. 6. Eaque omnia, et singula perpetuo valida firma, et efficacia esse, et fore, ac modernum, et pro tempore existentem dicti Monasterii Beatæ Mariæ de Abundantia Abbatem, seu perpetuum Commendatarium, nec non Abbatem Generalem, aliosque Monachos dictæ Congregationis præsentes, et pro tempore existentes, omnesque alios, ad quos forsan quomodolibet spectat; et pro tempore, quandocumque spectabit in futurum, ad præmissorum omnium inviolabilem observantiam efficaciter teneri, et obligatos esse, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, colore, vel ingenio resiliri, aut recedi posse, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Abbatiæ, et Congregationis hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Maij MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CCXII.

Dat. die 9. Maii 1761. Ann. III.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, et Regularium circa observantiam alternativæ inter Fratres Minores Observantes Ordinis S. Francisci Provinciarum supra Tagum, et infra Tagum.

*Literæ Apostolicæ hujus Pontificis diei 4. Decem. 1758. quibus confirmatur Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium super novis præscriptionibus circa munia, et officia Provinciæ Extremaduræ, relatæ jam a nobis sunt in præsentis continuationis Tom. I. num. XXIV.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Referuntur dispositiones, quæ usque adhuc locum habuere quoad præsentem alternativam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Provinciæ Sancti Michælis in Extremadura oriundi ex portione supra Tagum, quod alias nempe anno MDCCLVII., accedente consensu tunc existentis Commissarii Generalis Familiæ Ultramontanæ, ac præviis votis tunc itidem existentis Commissarii Generalis Curiæ, ac dilecti filii Nostri Prosperi S. R. E. Diaconi Cardinalis Columnæ de Sciarra Ponentis, a Congregatione tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositorum statuta, decreta, atque sancita fuit quædam accurata, et perfecta alternativa inter exponentes prædictos ex una, et Fratres ejusdem Provinciæ ex portione infra Tagum ex altera partibus, super assignatione, et concessione majorum, et minorum Officiorum, seu munerum dictæ Provinciæ, quippe qui oriundi ex dictis duabus portionibus supra, et infra Tagum, illam constituunt, ac ipsam alternativam inde fel. rec: Benedictus Papa XIV. prædecessor Noster, per quasdam suas in simili forma Brevis die VIII. Augusti supradicti anni expeditas literas, quarum initium est = Supremæ Apostolicæ charitatis ec. = confirmavit, quam quidem alternativam, et literas prædictas tunc existens Commissarius Generalis familiæ prædictæ, ut exequutor deputatus in nupero Capitulo Provinciali ejusmodi Provinciæ celebrato, debite exequutioni demandavit, et exequi

curavit, alternativamque prædicatam, de novo positam, et declaratam ab ipsa Cardinalium Congregatione, et a dilecto filio moderno Ministro Generali ipsius Ordinis per suum Decretum exequutoriale di 21. Novemb MDCCLVIII. per alias Nostras in pari forma Brevis die IV. Decembris dicti anni MDCCLVIII. expeditas literas, incipientes = Nuper pro parte ec. = confirmavimus; ac demum in nova causæ hujusmodi propositione, seu cognitione, facta, ac habita coram memorata Cardinalium Congregatione, ambabus partibus, seu dictis duabus portionibus contendentibus, postquam ipsa Cardinalium Congregatio, Discretorium Generale memorati Ordinis super hujusmodi causa audiri mandaverat, attento, quod illa a majori dicti Discretorii parte firmis rationibus tuebatur, die V. Septembris anui proximi elapsi, a dicta Cardinalium Congregatione editum fuit decretum tenoris sequentis videlicet = In Causa Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia alternativæ, vertente inter Patres oriundos ex portione supra Tagum in Provincia Sancti Michælis in Extremadura ex una, et Patres oriundos ex alia portione infra Tagum in eadem Provincia ex altera partibus; propositum fuit infrascriptum dubium, videlicet = *An, et quomodo,* „ *alternativa, ejusque confirmatio Apo-* „ *stolica, sit servanda in casu ec* = Sa- „ cra Congregatio Eminentissimorum, „ et Reverendissimorum S. R. E. Car- „ dinalium negotiis, et consultationibus „ Episcoporum, et Regularium præpo- „ sita, referente pro Emo Columna de „ Sciarra Ponente, Emo Ferroni, par- „ tibus auditis, ac re mature perpen- „ sa, ad suprascriptum dubium, sequen- „ tem in modum respondit, nempe = „ *Affirmative juxta modum* = nempe „ servandam esse quoad Studentes, et „ Novitios, moderationem adjectam in „ voto Patris Generalis, quo vero ad po- „ stulantes habitum, duas ex tribus par- „ tibus admittendas esse ad Novitiatum „ in parte supra Tagum, quousque „ numerus Religiosorum reducatur ad „ æqualitatem in utraque parte Provin- „ ciæ. Et in reliquis firma remanente „ æquali portione, et distributione Of- „ ficiorum, nempe Lectorum, Guar- „ dianorum, Vicariorum, Prædicato- „ rum, et Confessariorum Monialium, „ liberum sit Superioribus Provinciæ, „ eos indiscriminatim collocare, vel in „ uno, vel in alio Districtu supra, et „ cis Tagum. Romæ 5. Septembris 1760. „ P. Cardinalis Columna de Sciarra = „ Loco ✠ Signi. S. Bonaccorsi Secre- „ tarius.

Postmodum ad supplicationem Ministri Generalis Ordinis, duæ Provinciæ in Extremadura constitutæ sunt per Pontificium rescriptum.

§. 2. Statim vero atque præmissa omnia acta, et gesta fuerant, dictus Minister Generalis Nobis supplicari fecit, ut sibi facultatem tribueremus, ipsam Provinciam Sancti Michaelis, prævia derogatione, et abrogatione tum præfatarum literarum Benedicti prædecessoris prædicti, tum resolutionis sæpedictæ Congregationis Cardinalium, separandi, ac dividendi, ac ex una tantum Provincia, duas Provincias erigendi; Nos supplicem libellum Nobis porrectum dilecto filio Magistro Andreae Nigroni Auditori Nostro remisimus, qui rationibus dicti Ministri Generalis perpenderet, et Nobis referret, et subinde rescriptum fuit = *die 13. Septembris ex Audientia SSmi = facta per me relatione. Sanctitas Sua benigne annuit, ut facultas sit Oratori, Provinciam Sancti Michaelis, de qua in precibus in duas Provincias dividendi, novamque, ac distinctam erigendi juxta petita, Brevi S.M. Benedicti XIV. edito die 8. Augusti* 1757, *resolutione S. Congregationis Episcoporum, et Regularium, aliisque non obstantibus Sanctitas Sua amplissime derogavit = A Nigronus Aud.*

Re mature perpensa, præcedenti rescripto revocato, res in priori statu restitutæ prout Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium decreverat.

§. 3. Postmodum exponentes prædicti, adversus ejusdem Magistri Andreæ Auditoris Rescriptum, ac pro illius revocatione ad Nos recursum habuerunt, et postquam rationes deductas mature, et accurate perpenderimus, ipse Magister Andreas Auditor, aliud edidit Rescriptum tenoris sequentis videlicet = die 8 Martii 1761. ex Audientia SSmi = Sanctissimus, attentis, expositis, aliisque animum suum digne moventibus, Rescriptum sub datum 13. Septembris 1760 quo Provinciam Sancti Michaelis in Extremadura concessa fuit facultas Ministro Generali Ordinis Minorum Observantium Sancti Francisci in duas Provincias dividendi, sua auctoritate revocavit, atque ita haberi voluit, ac si factum minime fuisset quibuscumque non obstantibus. A. Nigronus Auditor. Loco † Sigilli = Cum autem sicut eadem expositio, subjungebat, dicti exponentes considerantes, quod præinsertum memoratæ Cardinalium Congregationis per abrogationem, cassationem, et derogationem, annullationemque primodicti Rescripti die 13. Septembris proximi elapsi per ipsum Magistrum Andream Auditorem facti, vigore secundodicti Rescripti nuper editi, debitæ exequutioni demandari potest, quo illud firmius subsistat, ac servetur exactius, ne su-

per illius validitate aliquod dubium oriatur, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, summopere desiderent.

Pontificia auctoritate decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium confirmatur, et approbatur.

§. 4. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertum ejusdem Cardinalium Congregationis decretum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac exponentibus prædictis plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciæ, et Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis superioribus, vel personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarium derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter, expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

## CCXIII.

Dat. die 9 Martii 1761. Ann. III.

Jubetur omnibus Ecclesiarum Præsulibus, omnibusque Regularium Ordinum Superioribus Generalibus, quod curare, et efficere debeant, ut bis saltem, quotannis, necessitates sanctorum Palestinæ locorum populo proponantur, et comendentur.

*Sedulitas Romanorum Pontificum pro conservatione, et religiosa honorificentia sanctorum monumentorum Palestinæ, nullo umquam tempore intermissa fuit, ad quem effectum, fidelium pietati, saltem bis in anno, comendari subsidia jussit primum Urbanus VIII. Constit. Anni 1634 Febr. 3., quæ deinde confirmata fuit Constitut. Clementis X. et Innocentii XI. quæ tamen non reperiuntur in Bullario Mainardi, itemque Constit. Alexandri VIII. edit. Anno 1689 Nov. 18; Innocentii XII. Constit. Anni 1691. Sept. 26., nec non alia Anni 1696. Febr. 24. Clementis XI. Constit. edit. Anno 1701 Nov. 18. Innocentii XIII. Const. Anni 1721. Nov. 21. Clementis XII. Constit. Anni 1731. Septembris 12. quæ omnes sunt in Bullario Mainardi. Privilegia vero, gratiæ, et indulta pro locis Terræ Sanctæ confirmavit Benedictus XIII. Constit. sua Anni 1727. Martii 3. ubi refert sexaginta tres alias Constitutiones præcedentium Summorum Pontificum quoad prælaudata loca Terræ Sanctæ.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei Memoriam

Exordium

§. 1. Salvatoris, et Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione, se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eum præcipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, et tam salutaris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hie-

rusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

S. M. Urbanus VIII. primum jussit, quod bis in anno necessitate sanctorum monumentorum Palestinæ comendari populo deberent.

§. 2. Cum itaque alias, felicis recordationis Urbano VIII. prædecessori Nostro exposito, quod Ecclesiæ, et alia loca pia in Civitate Hierusalem, et aliis locis Terræ Sanctæ existentia, fere diruta erant, et quæ adhuc ibi existebant Monasteria, ære alieno, ob impiam Turcarum, Hæreticorum, et Schismaticorum tyrannidem, et pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eiisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur; idem Urbanus prædecessor, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Generalibus comiserit, et mandaverit, ut ad minus, duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ temporibus, tam per verbi Domini Prædicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates eorumdem Sanctorum Monumentorum, populo proponi, et comendari curarent, et facerent, et alias prout in ipsius Urbani prædecessoris Literis, desuper in simili forma Brevis die III. Februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenores, pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Qua. Urbani VIII. præscriptiones quamplusimi Romani Pontifices confirmarunt, et observari demandarunt.

§. 3. Et sicut pro parte dilecti Filii moderni Comissarii Terræ Sanctæ, Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo præfatæ Urbani prædecessoris Literæ, quæ a recolendæ memoriæ Innocentio X. Clemente V. Innocentio XI.; Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. Innocentio XIII. Benedicto XIII. Clemente XII. et Benedicto XIV. Romanis Pontificibus, pariter prædecessoribus Nostris, confirmatæ fuerant, exactius observentur, illas per Nos etiam confirmari, et innovari desideret.

Eadem præscripta confirmat, approbat, et si opus sit innovat Pontifex hic.

§. 4. Nos, eorumdem Sanctorum Monumentorum conservationi, et manutentioni consulere volentes, prædictas Urbani prædecessoris Literas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus pariter, et approbamus, illasque innovamus, et observari mandamus. Volumus autem ut Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi præfati, in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt Limina Apostolorum, facienda, referant, se prædictis Urbani prædecessoris Literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transumptis fidem haberi jubet.

§. 5. Volumus insuper, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

## CCXIV.

Dat. die 15 Maii 1761. Ann. III.

Properantibus comitiis indictis Augustæ Vindeliciorum pro fœdere paciscendo inter Principes bello decertantes, Francorum Regem hortatur ne sinat, Germanicarum Ecclesiarum bona, ad sæcularium manus transire, neque Orthodoxæ Religionis libertatem diutius divexari.

*Literas in exordio Pontificatus perscriptas Francorum Regi hac super re, de quibus in prœsentibus mentio est, habes in hac nostra continuatione Tom. I. num. XIX. Consule etiam quoad Pontificiam sollicitudinem in rebus Ecclesiœ quœ supra notavimus hoc Tom. II. Num. CXCV. nec non quœ sequuntur Literœ.*

Carissimo in Christo Filio Nostro
Ludovico
Francorum Regi Christianissimo

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Litteras alias initio Pontificatus sui, pro Ecclesiasticis in Germanica rebus perscriptas, Majestati Suæ commemorat.

§. 1. Cogitantibus Nobis sub initium Pontificatus Nostri, quibus in Germania malis Religio Catholica jamdiu præmeretur, quæque secundum ea quæ nunciabantur imposterum timenda forent, efficaces, quoad potuimus, literas dedimus Majestati tuæ Idibus Novembris Anni MDCCLVIII. sedulo rogantes, ne, ubi de communi pace ageretur, Germanicarum Ecclesiarum bona, Deo, ejusque altaribus consecrata, ad sæcularium manus dilaberentur: literis autem Nostris, ea quæ Christianissimo Rege digna erat, Majestas tua respousum dedit Kalendis Januarii subsequentis anni, te videlicet pro eo Catholicæ Fidei amore, quo semper exarseras, omni studio

curaturum, quin, et cum Maria Theresia carissima in Christo Filia Nostra, Hungariæ Regina, consilia initurum, ut tantum mali præcaveretur: acquievimus ab eo tempore, usquedum fœderis paciscendi tempus instaret; nunc autem indictis in eum finem Augustæ Vindeliciorum comitiis, strictissimam villicationis Nostræ rationem Deo daturi, omittere non possumus, quin a Majestate tua, illud ipsum per viscera Domini Nostri Jesu Christi obtestemur, quod tum fuimus deprecati: non solum enim nondum evanuit molestissimus ille rumor, qui principio perculit animum Nostrum, verum increhrescit quotidie magis, rerumque præteritarum memoria funestissimam pacis Nobis repræsentat imaginem. Numquid ergo antiqua vulnera Orthodoxæ Fidei Nostræ per Germaniam illata, sanguine adhuc non manant? Numquid injecti olim Catholicæ libertati compedes, vel interpretationibus absurdis, vel pactionibus iniquis non aggravantur in dies, quin adhuc nova isthæc acerbissima plaga pertimescenda sit?

Postulat a Francorum Rege, ut in Augustano Congressu curet quæ Orthodoxæ Religionis sunt, et imminentia illi nova pericula avertat authoritate, et officiis.

§. 2. Cujus rei cogitatione permoti, qui ad Deum pacis supplices preces hactenus effundimus, ut a carissimis Filiis Nostris belli pericula depelleret, ad Majestatem tuam paternas voces denuo convertimus, ut in Augustano conventu, ea consilia te authore, ac duce suscipiantur, quæ partim impedimento sint, quominus vel deficiant custodes in vineis Domini, vel Ecclesiæ hæreditas vertatur ad extraneos, partim vero adjumento ad Orthodoxam disciplinam legitimæ libertati restituendam, diuturnamque Sacrosantæ Religioni, et Apostolicæ Sedis juribus tranquillitatem conciliandam: certe quam operam Divinæ huic causæ Majestas tua dederit, illa felicissimum exitum dabit reliquis consiliis tuis, et optatissimæ paci stabile firmamentum, nec dubitare debes quin tuis potissimum rationibus prospicias per hoc Regiæ pietatis, et dignitatis officium; quod potentissima Cælestis Regis, ac Domini Dominantium tibi comparabit auxilia: quæ dum toto corde auspicamur, Apostolicam Benedictionem Majestati tuæ amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Maji MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

## CCXV.

Dat. die 13. Maii 1761 Ann. III.

De damnis perpessis in perlongo acto bello ab Regia Polonica domo condolet, Illustremque Poloniæ Regem hortatur, ut Germanicis Ecclesiis prospiciat in proximis habendis Comitiis pro pace firmanda Augustæ Vindeliciorum.

Carissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniæ Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De proximis habendis comitiis Augustæ Vindeliciorum pro foedere pacis agit, et ut Ecclesiæ bono prospiciat hortatur.

§. 1. Etsi multis de causis gavisi fuimus accepto nuncio comitiorum, quæ Augustæ Vindeliciorum habenda sunt ad pangenda fœdera pacis, tum vero præcipue ob sollicitudinem, in qua jamdiu sumus rerum tuarum, quas vel maxime Nobis cordi esse ex eo facilius Majestas tua cognoverit, quod experietur in dies, quam sollicitus, et anxius sit amor parentum in liberos, nam paterna charitas, qua te Carissime Fili in Christo complectimur, ipsius naturæ vinculis nihil quidquam concedit: quamobrem nihil est, quod optemus, aut cupiamus ardentius, nihil quod magis a Domino deprecati fuerimus, quam ut in patriam Ditionem tuam salvus, ac sospes aliquando redires, et populorum tuorum, præsentia tua, desiderium expleres, lacrymas humanitate abstergeres: atque utinam daretur Nobis una cum sociis, fœderatisque tuis adniti posse, ut quæ Regia domus pertulit damna large compensarentur, nullum enim neque industriæ, neque laboris Nostri officium pateremur tibi deesse, hoc ipsum tamen sacrificiis Nostris, ac precibus a Deo impetrare conabimur, atque id eo ferventius, quia de tua singulari in Deum pietate certissimi sumus, teque proinde permissurum nunquam suffragio tuo, ut ex bonis Deo consecratis cum Ecclesiæ jactura locupletari quempiam iis in comitiis decernatur.

Catholicis aliis Principibus similes pro Germaniæ Ecclesiis perscripsisse significat.

§. 2. Communem igitur cum aliis Catholici nominis Regibus, ad quos pariter in hunc finem studiosissimas literas dedimus, ut naves operam ad ejusmodi Ecclesiarum Germaniæ pericula avertenda enixe petimus ac per viscera Jesu Christi obsecramus cujus quidem pietatis uberem fructum Majestatem tuam percepturam Noster præsagit animus,

justos enim ac pios diligit is, in cujus manu sunt omnia jura Regnorum, et in proverbiis legimus = *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* = Nosque interea, ut in superioribus literis testati sumus, ac denuo Majestati tuæ confirmamus, non tam de tua in Romanam Ecclesiam observantia benemereri, quam de regali tua sobole honestanda sedulo cogitabimus, damusque certissimum pignus, Apostolicam benedictionem, quam Majestati tuæ, ac liberis tuis omnibus amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 13. Maii 1761 Ann. III.

## CCXVI.

De impedenti plurium Ecclesiarum Germanicarum periculo in proximo pandendo fœdere, cum Francisco in Romanorum Imperatorem electo condolet, illudque hortatur, ut Ecclesiæ patrocinium assumat in comitiis pro ipso fœdere conciliando habendis Augustæ Vindeliciorum.

Carissimo in Christo filio Nostro Francisco Lotharingiæ et Barri Duci, nec non Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci, in Romanorum Imperatorem electo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Filii Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem

Suam sedulitatem ne Ecclesiarum Germanicarum patrimonia ad seculares dilabantur, Pontifex exprimit.

§. 1. Vix delato infirmitati Nostræ servitutis Apostolicæ ministerio, ea in primis subiit cogitatio, ut Germanicarum Ecclesiarum securitati prospiceremus, a quibus conari aliquos ferebatur, in proximæ ineundi fœderis pactionibus, ditiora subtrahere patrimonia, ut sæcularium dominio addiicetur. Dedimus igitur in mandatis Venerabili Fratri Cæsareæ Archiepiscopo, modo autem dilecto Filio Nostro Cardinali Cribellio, tum isthic Apostolicæ Sedis Ordinario Nuncio, ut Majestati tuæ studiosissime testaretur, quantum egregiæ pietati, ac sapientiæ tuæ confideremus, neque propterea vereri Nos, quin pro suprema illa, qua fungeris dignitate, advocati, atque patroni, earum defensam suscipere validissimam, cum sint illustria membra, ac nobilissima portio ejus potentissimi corporis, cujus Majestas tua caput est, moderator, et custos: sed quoniam indictis modo Augustæ Vindelicorum ad sanciendam pacem comitiis, idem ipse rumor impedentis Episcopatibus nonnullis jacturæ, iterum invalescit, renovatur in Nobis antiquus dolor, ac metus, quem idcirco cum Majestate tua rursum comunicare cogimur, ne coram æterno Judice, indiligentiæ, improvidique silentii redarguamur.

Commemorat ærumnas perpessas a Catholicis, qui sub Principibus hæthero-doxis vivunt.

§. 2. Est autem supra cæteros Majestati tuæ perspectum, quibus ærumnis conflictentur Catholici, qui sub hætherodoxis Principibus vivunt, quinimo iidem ipsi Principes viri ad Ecclesiæ matris gremium reversi, quibus votis, ac gemitibus flagitent, ut impune viam salutis tenere sibi liceat, quot novis difficultatibus, ac molestiis urgeantur in dies, quominus Catholici nominis, et Catholicæ disciplinæ officiis libere vacent; quod si nova isthæc calamitas supervenerit, et Ecclesiastici Ordinis minuatur potentia, quis veteribus morbis malorum insanabilium cumulus non accesserit? De hoc tristissimo eventu præ lacrymis prohibemur plura disserere, nam si contigeret, quod misericors Deus avertat, vitam quam ducimus non modo infelicem, sed pene intollerabilem experiemur. Te proinde carissime in Christo Fili Noster, majorem in modum petimus, et rogamus, tum ut durissimæ in Catholicorum conditionis, et servitutis miseratione, tum vero etiam iniquissimæ pactionis, quam formidamus, acerbitate commotus, inter Augustani conventus tractatus, et curas, gravissimam hanc Ecclesiæ necessitatem negligi non patiaris, omnesque exeras vires, ne Religio Catholica, et Apostolica Sedes ullum persentiat detrimentum: dum vero debitam laboranti Ecclesiæ opem de tua præclara virtute, tuique nominis authoritate expectamus, Deum jugibus sacrificiis exorare non omittemus, ut sit brachium, virtus, ac fortitudo tua detque rebus tuis omnibus prosperitatem, et incrementum iisdem in comitiis, in quibus tam fidelem, egregiamque navabis operam, ad tot incommoda, et pericula ab rebus Domini propulsanda, sitque auspicii Nostri pignus, Apostolica benedictio, quam Majestati tuæ amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die XIII. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

## CCXVII.

Dat. die 16. Maii 1761. Anno III.

Hildesiensis Capituli sollicitudinem commendat, in tuenda libertate electionis Antistitis, suumque præsidium ne ea mala, quæ timentur obveniant, pollicetur.

Dilectis Filiis, Decano, et Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Hildesiensis

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

Curam, et sollicitudinem in canonicæ electionis Antistitis vestri libertate tuenda, plurimum commendamus, et ob ea, quæ vos angunt, atque conturbant, vobis æque condolemus: illud demum, quod timetis, Nos quoque jampridem veriti sumus, eaque propter sollicitudini, quam licet immerentes gerimus omnium Ecclesiarum, Deo miserante, neque defuimus, neque defuturos, eodem ipso juvante recipimus: interim vero magnis precibus exorandus est, ne respiciat peccata populi sui, sed bonitatis dumtaxat, et miserationum suarum reminiscatur, tantumque mali avertat a vineis suis; qua de re, ut ipsi quoque valde solliciti sitis, et opem, ac patrocinium Catholicorum Principum exquiratis, vehementer hortamur, et obsecramus in Dono, atque interea, Apostolicam benedictionem Nostram peramanter largimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Maij MCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

## CCXVIII.

Dat. die 17. Maii 1761 Pont. Ann. III.

Ne Germanicarum Ecclesiarum bona ad sæculares Principes transferri sinat, in componendi belli compensationem, proximis habendis comitiis Augustæ Vindeliciorum, Mariæ Theræsiæ Imperatrici Romanorum electæ, quamplurimum comendat.

Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ Reginæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ Reginæ Illustri in Romanorum Impericem electæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia Nostra salutem, et Apostolicam benedictionem

Quantum Pontificis chordi constantissime fuerint Germanicarum Ecclesiarum libertates, et jura commemorat.

§. 1. Pervenit ad aures Nostras, non multo post ac impositum Nobis fuerat onus Apostolicæ servitutis, obscurus quidam rumor, moliri aliquos, ut in proxime ineundo fœdere pacis, quarumdam Germaniæ Ecclesiarum bona, in sæcularium Principum potestatem transferentur, ad ea, quæ bellum iisdem intulit, damna sarcienda: non eramus autem nescii, quam fortiter huic molimini Majestas tua alias restitisset, et Divinæ bonitatis consilio, factum arbitrabamur in tam gravi periculo, magnum sollicitudini Nostræ præsidium in virtute, ac sapientia tua paratum invenire: quapropter jussimus Ven. Fratrem Cæsareæ Archiepiscopum dilectum modo Filium nostrum Cardinalem Cribellium, qui tunc Apostolicum Nuncium isthic agebat, ut anxietatem Nostram tecum communicaret, quantumque spei in perspectissimo Nobis tuendarum Ecclesiarum studio Majestatis tuæ reponeremur, latius explicaret.

Suum exprimit dolorem pro imminenti periculo Germanicis Ecclesiis in proxime habendis comitiis Augustæ Vindeliciorum, pro pace firmanda, cum ipsarum Ecclesiarum jactura.

§. 2. At iminentibus modo Augustanis comitiis, idem ille rumor, qui clanculo prius serpebat, erupit in publicum, et non sine maximo animi Nostri mœrore ubique circumsonat, quasi de pace inter Christianos Principes agi non possit, nisi tunica Christi dividenda proponitur. Numquid ergo vetera Germanicæ Ecclesiæ dispendia satis lugenda non sunt, quin adhuc nova, et pejora sint metuenda? Numquid hæreditas, et portio sancta, quam separavit Dominus in dotem, et ornamentum desponsæ in sanguine suo Ecclesiæ, erit extraneorum præda, belli merces, pretium pacis? Non poterat hæc

tam iniqua conditio nisi ab infensissimis hostibus Nostris excogitari, quibus diuturna experientia compertum est, quantum splendoris, præsidii, ac roboris Catholicæ fidei situm sit in ejusmodi sacerdotiis, quique multo ab hinc tempore, munitissimas istas Dominicæ vineæ turres, et per vim manifestam, vel pedetentim conantur evertere. At vix credibile, quod cum per Majestatem tuam olim rejecta, et execrata fuerit, eam denuo proferre non vereantur, quasi neque præstantissimæ virtutis tuæ, justitiæ, fortitudinis, partæque inde apud omnes laudis, ac gloriæ reminisci, neque totius Germanici Cleri, Austriaco sanguini addictissimi, suspiriis, ac lacrymis sursum commoveri non debeas.

Imperatricem obsecrat, ut in Augustanis comitiis, Ecclesiarum, et Apostolicæ Sedis partes agat, ex quo optima erit pax, et Germanicis rebus stabile fundamentum.

§. 3. Hujus igitur nomine, Catholica Ecclesia, quæ ad Deum pacis supplices preces hactenus effudit, ut infaustos exitus belli a tuis exercitibus, ac regionibus amoveret, ad Majestatem tuam manus tendit, et maternas convertit voces, ut iis in comitiis, in quibus partes tuæ insignes erunt, diligentissime caveas, ea iniri consilia, quæ vel Orthodoxam colendi Dei libertatem, vel Germanicarum Ecclesiarum patrimonia, vel Apostolicæ Sedis minuant dignitatem, ne videlicet in pace ista, amaritudo ejus sit amarissima; quam enim operam Catholicæ Religioni defendendæ, cjusque decori conservando dederis, Deo ipsi dabis; is vero successum consiliis tuis, pacem optimam, et Germanicis rebus stabile firmamentum. Pluribus equidem præstantissima pietas tua incendi opus non habet, cui interea, ut omnem Dominus etiam in hoc sæculo prosperitatem tribuat, incessanter adprecabimur, damusque certissimum paternæ benevolentiæ pignus, Apostolicam benedictionem, quam tibi carissima in Christo Filia Nostra amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

## CCXIX.

Dat. die 18. Maii 1761. Anno III.

Archiconfraternitati S. Catharinæ Senensis de Urbe indultum liberandi quotannis unum reum ab ultimo supplicio, jam alias concessum confirmat, et quatenus opus sit, de novo concedit.

### Clemens XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Antiquum indultum liberandi quotannis unum reum ab ultimo supplicio commemoratur, indultumque deperditum fuisse exponitur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, et Confratres Archiconfraternitatis sub invocatione Sanctæ Catharinæ Nationis Senensis in Alma Urbe Nostra canonice, ut asseritur, institutæ, quod intuitu nonnullorum pietatis operum, quæ tunc existentes ejusdem Archiconfraternitatis Confratres exercere pergebant, ipsi Archiconfraternitati facultatem liberandi quotannis unum reum ultimi supplicii pœnæ addictum, et in hujusmodi defectu alios delinquentes ad Triremes, sive in perpetuum, sive ad tempus damnatos, ab hac Sancta Sede concessam fuisse memoratur, prout ex documentis authenticis id constare asserunt; verum quia sive propter temporum injuriam, sive propter Officialium ejusdem Archiconfraternitatis negligentiam dicti exponentes, facultatem illi concessam, licet omnem diligentiam ad effectum illam inveniendi adhibere curaverint, nihilominus reperire nequiverint, ac propterea indultum, seu privilegium alias, ut præfertur, eidem Archiconfraternitati concessum liberandi singulis annis unum reum prædictum per Nos confirmare, seu de novo concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Supra expressum indultum Pontifex confirmat, et quatenus opus sit de novo concedit.

§. 2. Nos igitur, dictos Exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Archiconfraternitati Sanctæ Catharinæ Nationis Senensis de eadem Urbe, ac pro ea illius modernis, et pro tempore existentibus

Officialibus, et Confratribus, unum reum ad triremes perpetuas quacumque de causa, non tamen homicidii, et furti damnatum, dummodo tamen pacem a parte offensa habuerit, et ad triremes missus non sit, et in eis existat, singulis annis, sive in die festo ejusdem Sanctæ Catharinæ, sive in alio anni tempore nominandi, et liberandi, servata tamen forma statutis ejusdem Archiconfraternitatis, auctoritate Apostolica confirmatorum, pro nominatione, et liberatione rei hujusmodi præscripta, et demandata, facultatem auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Maji MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 19 Maii 1761. Ann. III.

## CCXX.

Perceptoria, seu comenda nuncupata de Silla, Militiæ Beatæ Mariæ de Montesa Æquestris Ordinis de Calatrava, unitur, et perpetuo incorporatur ejusdem militiæ mensæ Magistrali.

*Suppresso Ordine Militum Templariorum in Concilio Viennensi in Delphinatu, Ordinis ejusdem universa bona, Apostolicæ Sedis ordinationi, et dispositioni, reservata prius, deinde, Militibus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani addicta, exceptis illis sitis in Regnis, et Terris Castellæ, et Aragoniæ, quæ ad Apostolicæ Sedis dispositionem relicta fuerant, a Clemente V. per Constit. edit. anno 1312. Maij 2. ut est in Bullario Mainardii. Bona in Aragoniæ Regno sita, concessa postmodum fuere Aragoniæ Regi pro fundatione, et dotatione Monasterii Militiæ de Calatrava Ordinis Cisterciensis in Castro de Montesa Regni Valentiæ per Constit. Joannis XXII. anno 1318. editam, quæ in Bullario Mainardii non reperitur impressa. Equestris militiæ de Calatrava Magnum Magisterium, Aragoniæ Regibus perpetuo concessit Sixtus V. Constit. edit. anno 1587. Martii 15. quæ pariter in dicto Bullario Mainardii non reperitur. Ut Conventus de Montesa ob Terremotum anni 1748. fere dirutus, transferri posset ad Regium Palatium* del Temple *in Civitate Valentiæ, sicut Hispaniarum Rex decreverat, approbavit Clemens XIII. Constit. edit. anno 1759. Martii 5, relata in hac nostra Continuatione Tom. I. sub num. XLIII.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Suppresso Ordine militari Templariorum nuncupato et bonis in Aragoniæ Regno sitis, reservatis Apostolicæ Sedis dispositioni, eadem subinde Aragoniæ Regi cessa pro Conventu erigendo de Montesa militiæ Ordinis Cistercensis de Calatrava.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, quod dudum fel. rec. Joannes Papa XXII. prædecessor Noster, postquam rec. me. Clemens Papa V. itidem prædecessor Noster per quasdam suas sub plumbo VI. Nonas Maij Pontificatus sui anno VII. Viennæ in Delphinatu datas literas, universa bona ad Ordinem Domus militiæ Templi Hierosolymitani, illiusque Magistrum, et Fratres spectantia, in toto Regno Aragoniæ existentia, et quæ dictus Ordo, et præfati Magister, et Fratres ipsius Ordinis militiæ Templi per se, vel quoscumque alios habebant, tenebant, et possidebant in dicto Regno Aragoniæ, dispositioni, et ordinationi Sedis Apostolicæ, sub certis modo, et forma tunc expressis reservaverat, instante Cla. Me. Jacobo II. dum vixit Aragoniæ Rege, per alias suas pariter sub plumbo Pontificatus sui anno primo expeditas literas, bona quæcumque prædicta, in hujusmodi Regno Aragoniæ tunc existentia, et ad Ordinem, Magistratum, et Fratres Domus militiæ Templi Hierosolymitani prædicti spectantia, et pertinentia, ac dispositioni, et ordinationi Apostolicæ reservata, sicut præmittitur, dicto Jacobo Regi concessit, assignavit, et attribuit pro fundatione, et dotatione novi Monasterii, seu Conventus militiæ de Calatrava Ordinis Cirterciensis in Regno Va-

lentiæ, ac præsertim in Castro de Montesa.

Ex bonis assignatis pro novo erigendo Monasterio, nonnulla concessa fuerunt pro dotatione Comendæ de Silla nuncupatæ ejusdem Monasterii de Montesa.

§. 2. Sequuta vero concessione, et assignatione hujusmodi bonorum per mandatum, stabilimentumque tunc in humanis agentis Arnaldi de Solet Magistri ejusdem militiæ die XXI. Januarii MCCCXXI. fere ab initio fundationis, et constructionis novi Conventus de Montesa, ejusdem militiæ assignati fuerunt pro provisione, et alimentis ejusdem Conventus de montesa annui redditus, fructus, et proventus, obventiones, et jura quæcumque locorum de Sueca, Silla, Montesa, et Perpacheat. Postmodum vero Magistri dictæ militiæ tunc successores, administrationem fructuum, redditumm, et proventuum loci de Sueca pro manutentione Comunitatis dicti novi Monasterii, seu Conventus de Montesa sibi reservarunt, fructus autem, ac redditus, proventusque, et jura locorum de Perpuchent, et Silla, in Commendam duobus Equitibus memoratæ militiæ concesserunt; Villa tamen, seu locus deMontesa, mensæ Magistrali unitus, et incorporatus remansit.

Sixtus V. Magisterium militiæ de Calatrava, Aragoniæ Regibus perpetuo concessit.

§. 3. Subinde tractu temporis quum Magisterium hujusmodi militiæ a rec: me. Sixto Papa V. prædecessore pari. ter Nostro, per quasdam suas die XV. MartiiMDLXXXVII. expenditas literas, Regiæ Coronæ Aragoniæ, seu pro tempore existenti Regi Aragoniæ unitum, et incorporatum fuisset, cla. me. Philippus II. dum vixit Hispaniarum Rex Catholicus administrator perpetuus tam dictæ, quam aliarum militiarum in Hispaniarum Regnis existentium, auctoritate Apostolica deputatus, ad hoc ut Fratres Milites, et Conventus hujusmodi absque ullo impedimento, ac minori rerum temporalium studio, cura, et sollicitudine Deo famulatum exhibere valerent, super fructibus, redditibus, et proventibus mensæ Magistralis ipsius militiæ, majorem summam redituum proventuumque ad favorem Fratrum Militum, Conventus, et militiæ prædictorum reservavit, constituit, et assignavit ulterius, quam ipsi percipiebant ex Villa, ac Territorij locis de Sueca, ac postmodum Reges Hispaniarum, qui in Regna prædicta successerunt, uti perpetui administratores supradictæ militiæ, eamdem summam adauxerunt.

Conventus de Montesa ab Terremotu anni 1748 eversus, translatus fuit ad Regium Palatium *del Temple* in Civitate Valentiæ

§. 4. Attenta demum omnimoda eversione memorati Conventus de Montesa prædictæ militiæ, effecta propter terremotum, qui Anno MDCCXLVIII in Regno Valentiæ evenit, in qua fere omnes ejusmodi Conventus, et militiæ Fratres interierunt, cla: itidem me: Ferdinandus, dum pariter vixit Hispaniarum Rex Catholicus, et administrator perpetuus ejusmodi militiæ, decrevit, et mandavit, ut Communitas, seu Fratres dicti eversi Conventus, qui ex ruinis immunes evaserant, in Regio Palatio *del Temple* nuncupato in Civitate Valentina existente, in quo antiquiMagistri hujus militiæ habitabant, se se transferrent, ut inibi, et in illius annexa Ecclesia divina officia, aliæque Ecclesiæ functiones per Fratres hujusmodi militiæ celebrari, et haberi solitæ, et consuetæ deinceps celebrarentur et haberentur, donec, et quousque sive dictus dirutus Conventus, pro commodo, et servitio eorumdem Fratrum reficeretur, seu alius Conventus de novo construeretur, imminuendo interea, seu redigendo ad decem, et novem dumtaxat triginta Fratres, et Collegiales vulgo *Piazze* nuncupatæ, qui duas Communitates, nempe Conventum, et Collegium constituebant.

Referuntur incomoda pro novi hujus Conventus constructione, præsertim ob pecuniarum deficientiam.

§. 5. Statim ac Fratres Conventus hujusmodi, ad Palatium prædictum *del Temple* accesserunt, eidem FerdinandoRegi repræhesentarunt incommoda, et angustias quæ patiebantur, quippe quod in dicto Palatio, neque Ecclesia capax, minusque habitatio, nec Officinæ congruentes, et necessariæ hujusmodi Communitati reperiebantur, ac existebant; post vero iteratos efflagitatus, et animadversiones super præmissis habitas compertum fuit, nullum alium locum magis aptum esse, et fore consentaneum pro constructione novi Conventus, quam idem Palatium *de Temple*, impedimentum vero majus, quod constructionem memorati novi Conventus adhuc detinuit, et detinere pergit, illud est, deficientia pecuniæ necessariæ in constructionem, perfectionemque ipsius novi Conventus impendendæ, nam fructus, redditus, et proventus Prioratum, et Parochialium Ecclesiarum, quibus Fratres dictæ militiæ inserviunt, eisdem Fratribus ad eorum conservationem, et decentiam, ac in subsidium, et sublevamen pauperum assignati reperiantur, fructus itidem, ac redditus, et proventus Præceptoriarum, seu Commendarum militiæ hujusmodi, illius Fratres Præceptores seu Commendatarij intuitu servitiorum per eos præstitorum percipiunt, et quibus solitas, et consnetas ærario dictæ militiæ annuas responsiones, aliaque jura, et onera persolvere tenentur; demum fructus redditus, pro-

ventusque mensæ Magistralis præter, et ultra provisiones, aliaque ad commodum Magistri necessaria, quæ etiam perpendere debent, impendendi veniunt in satisfactionem onerum, stipendiorum Ministrorum, et aliorum illius servitio adictorum, quibus mensa ipsa gravata existit.

Ad quæ incomoda removenda, et ut pecuniæ præsto essent, Fratres, et Prior Conventus de Montesa proposuere unionem Comendæ de Silla mensæ Magistrali, quæ sic prædictæ constructioni prospicere posset.

§. 6. In hoc rerum statu necessitas dicti Conventus, et illius Communitatis magis magisque augebatur, quare Communitas, seu Fratres prædicti Conventus hujusmodi per suum legitimum Priorem ad hoc deputatum exponi facere curarunt, quod medium magis proprium, peculiare, et re ipsa opportunum pro stabilitate non solum dicti novi ejusdem militiæ Conventus, verum etiam Collegii Sancti Georgei, quod ruina itidem minatur, ac illius reædificatio, seu nova constructio demandata st, videbatur esse unionem, incorporationem supradictæ Præceptoriæ, seu Commendæ de Silla eidem mensæ Magistrali, prout alias favore mensarum dictarum aliarum militiarum factum fuisse memoratur, nam si dicta Præceptoria, seu Commenda de Silla tamquam pars primæ, et antiquæ dotis, sive assignationis, vel fundi supradicti diruti, eversique Conventus de Montesa mensæ Magistrali hujusmodi incorporaretur, et iterum injungeretur, ipsa mensaMagistralis absque ulla redditaum, proventuumque illi assignatorum imminutione, facile applicare, et suppeditare valeret totum id, quod necesse est ad constructionem novi Conventus ejusdem militiæ, et Collegii Sancti Georgei, ac manutentionem harum duarum Communitatum, et satisfactionem quorumcumque onerum, quibus ipsa mensa Magistralis gravata existit.

Proposita unio ab Ordinis Consilio probata fuit, exitum habitura quum Comendatore vacua reperietur Comenda ipsa, et sub certis modis Hispaniarum Regis adprobationi supposita.

§. 7. Negotio hujusmodi mature perpenso a Consilio Ordinum, seu militiarum in consultationibus diebus XXVIII. Februarij, et XVII. Decembris anni proximi elapsi MDCCLX. habitis, dictum Consilium totum id approbavit, exposuitque, ac retulit ipsi Carolo Regi, necesse esse, ut Conventus, et Communitas, seu Fratres militiæ de Montesa in *Temple* Palatio hujusmodi fundarentur, collocarentur, et constituerentur, incorporando Conventui prædicto construendo, Collegium Sancti Georgei, præviis habitationibus disjunctis pro dictis duabus Communitatibus, sive Fratribus dictæ militiæ, et Collegialibus hujusmodi Collegii, eum omnimoda subjectione Collegialium pro tempore existentium Collegii prædicti Priori ejusdem Conventus, quodque Præceptoria, seu Commenda de Silla ejusdem militiæ, cujus fructus, redditus, et proventus ad summam quatuor circiter millium petiarum monetæ illarum partium annuatim ascendunt, quam dilectus filius Nobilis Vir cognominatus Marchio della Mina unus ex Magnatibus Hispaniarum in exercitibus suis Præfectus sibi concessam obtinet, ex nunc prout ex tunc quando sive per obitum, sive renunciationem, sive cessionem, aut alias ex illius persona vacaverit, unienda, et incorporanda esset eidem mensæ Magistrali, ad hoc ut ipsa mensa Magistralis absque ulla suorum fructuum, redditum, proventuumque, ac fundorum, seu capitalium, distractione supplere, ac suppeditare valeat totam summam pro constructione novi Conventus necessaria, pro cujus perfectione, et absolutione existimatum est, quod summa centum quinquaginta millium petiarum prædictarum impendenda, et eroganda veniat, ac insuper augere possit dotem, sive annuos fructus, redditus, et proventus ejusdem Communitatis, qui antequam prædictus terremotus sæpedictum Convetum everteret, summam quinque millium, et ducentarum petiarum parium minime excedebant, pro manutentione eorumdem Fratrum, et Collegialium usque ad numerum triginta, qui inter dictas duas Communitates existere debebant.

Hispaniarum Rex cuncta probavit, et pro suppressione, et respectiva incorporatione Comendæ de Sylla mensæ Magistrali, instantias Pontifici detulit.

§. 8 Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ne, dictus Carolus Rex sentiens omnia, quæ idem consilium sentit, posita renunciatione a Priore, et Communitate hujusmodi jam facta omnium, et singulorum suorum jurium, et actionum super fructibus, redditibus, et proventibus dicti loci de Sueca, pro constructione, et perfectione fabricæ dicti novi Conventus expressa in planta, aut descriptione *vulgo ut dicitur disegno* ipsi Carolo Regi a supradicto consilio tradita, summam centum triginta millium petiarum parium assidue per quinque annorum spatium tradenda assignaverit, injungendo Priori prædicto, et illius Communitati assistentiam, et directionem dictæ fabricæ, insuperque pro sua tam Conventus, Militiæ Fratrum, Collegii, et Collegialium prædictorum sollicitudine, mandaverit, et decreverit, ut numerus triginta Religiosorum, seu Fratrum *vulgo Piazze*, quam, seu quas dictæ duæ Communitates ante memoratum terremotum habere debebant, constituatur, assignando, et constituendo tam pro Ecclesiæ, divinique cultus augmento, quam Fratrum, Conventus

Collegii, et Collegialium manutentione, et alimoniis eleemosynas, et stipendia usque ad summam novem millium petiarum similium, quæ quidem summa ex redditibus, et proventibus mensæ Magistralis, accurate in tribus equalibus solutionibus in antecessum singulis annis faciendis persolvere debebit, ac propterea dictus Carolus Rex, attentis præmissis, memoratam Præceptoriam, seu Commendam de Silla ejusdem militiæ eidem mensæ Magistrali per Nos perpetuo unire, et incorporare plurimum desideret.

Postulata suppressio, et perpetua mensæ Magistrali incorporat. nunc pro tunc, seu vacationis tempore Pontificia authoritate approbatur ad expositum finem novæ constructionis Conventus.

§. 9. Nos piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, suumque studium in præmissis summopere commendantes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratam Præceptoriam, seu Commendam de Silla nuncupatam ejusdem militiæ de Calatrava per dictum memoratum modernum Marchionem de la Mina de præsenti obtentam nunc pro tunc, et quando Præceptoria, seu Commenda de Silla prædicta per obitum, cessum, vel decessum, aut renunciationem, sive quocumque alio modo de illius persona vacaverit, cum omnibus, et singulis Præceptoriæ, seu Commendæ prædictæ fundis, capitalibus annexis, connexis, juribus, actionibus, pertinentiis, fructibus, redditibus, et proventibus universis, ac quibuscumque privilegiis, quæ tunc existens militiæ prædictæ Magister memoratæ Præceptoriæ, seu Commendæ de Silla in erectione, ac concessione in Commendam assignavit, et concessit, et quibus Præceptores, seu Commendatarij ipsius Præceptoriæ, seu Commendæ huc usque usi, potiti, et gavisi fuerunt, seu uti, potiri et gaudere potuerant, mensæ magistrali militiæ prædictæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ac eidem mensæ Magistrali unitam, annexam, et incorporatam nunc pro tunc quando de persona dicti moderni Marchionis Præceptoris, seu Commendatarij esse, et fore perpetuo decernimus, et declaramus; ita ut, vigore unionis, annexionis, et incorporationis hujusmodi Præceptoriæ, seu Commendæ eidem mensæ Magistrali a Nobis de præsenti, sicut præmittitur factarum, liceat ipsi Carolo Regi, ac cæteris earumdem Hispaniarum Regibus pro tempore existentibus, uti administratoribus perpetuis milititiæ prædictæ, statim ac Præceptoria, seu Commenda de Silla de persona dicti moderni Marchionis vacaverit, liberam illius possessionem appræhendere et retinere; ac illius annuos fructus, redditus, et proventus percipere, exigere, et levare, ac de illis, uti unitis, et incorporatis mensæ Magistrali prædictæ Militiæ, disponere, ac in suos, seu in alios sibi benevisos usus, et utilitatem libere, et licite convertere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10 Decernentes, easdem præsentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ipsi Carolo Regi, suisque in Hispaniarum Regnis Successoribus plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, ac Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac militiæ prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis; privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimanona Maij Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo, Primo, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 20. Maii 1761. Anno III.

## CCXXI.

Prævia derogatione dispositioni testamentariæ Canonici Jacobi Savioli, pium legatum ab eodem relictum pro erectione Orphanotrophii in Terra Plebis Diœcesis Bononiensis, applicatur Hospitali Sanctæ Mariæ dictæ Terræ, et Bononiensi Archiepiscopo exequutio concessionis comittur.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem

Refertur tenor dispositionis testamentariæ Canonici Savioli.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii administratores Hospitalis Sanctæ Mariæ Terræ Plebis Bononien Diœcesis, quod quondam Canonicus Jacobus Savioli ejusdem Terræ, deficiente linea masculina Francisci, et Alphunsi fratrum de Claris hæredum institutorum, ab ejus hæreditate separari mandavit prædium Tornaturarum quatuordecim ex parte affectum Ecclesiastica emphytheusi, et censu in sorte scutorum quatuorcentum monetæ Romanæ sub expressa declaratione, quod utriusque sortis fructus naturales, et civiles, a die obitus ultimi hæredis gravati, per decennium cumulari deberent, ad effectum erigendi in dicta Terra Orphanotrophium sine Ecclesia, in quo indesinenter præberi deberent alimenta, et honesta educatio sex pueris, usque ad ætatem annorum octo supradecem, et separatim sex puellis quousque nuberent, aut pervenirent ad ætatem viginti duorum annorum, injungendo præterea, ut pro una vice tantum elargirentur scuta decem cuilibet ex illis, qui vel ob completam ætatem, vel titulo matrimonii, vel ob aliam causam e dicto Orphanotrophio dimittendus esset, et alias prout in ejusdem Jacobi testamento uberius dicitur contineri.

Petitio porrecta pro derogatione præfatæ dispositionis testamentariæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, qui (ut asserunt) jam imminet defectus ultimi ex hæredibus a testatore volitis, ob decrepitam illius senectutem, totum id, quod a prædicto Jacobo testatore assignatum fuit pro erectione, et dotatione hujusmodi Orphanotrophii, in Hospitalis prædicti subsidium convertendi facultatem per Nos concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Postulatæ derogationi indulget Pontifex pro implorato effectu.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac testamenti prædicti tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad quos supplicem libellum, Nobis porrectum, remisimus, qui relationem tuam ad eosdem Cardinales transmissam, attenderunt, consilio, Circumspectioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis supradictis, eorumdem exponentium precibus, præmissa ejusdem Jacobi Testatoris dispositione minime obstante, auctoritate Nostra Apostolica, pro tuo arbitrio et prudentia, gratis indulgeas juxta petita. Non obstan supradicti Jacobi Testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Maii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

## CCXXII.

Dat. die 20 Maii 1761. Anno III.

De componendis dissentionibus inter Episcopum, et Abbatem Tennebacensem super jurisdictione exercenda in Monasterio Lictenthalii agit cum Marchione Badensi in cujus ditione Monasterium idem reperitur, et Ecclesiasticam disciplinam comemorat servandam ab Episcopis, et Regularibus quoad Monialium Monasteria.

Dilecto Filio Nobili Viro Ludovico Marchioni Badensi

Clemens PP. XIII.

Dilecte Filii Nobilis Vir, salutem, et Apostolicam Benedictionem

Ut dissentiones inter Episcopum, et Abbatem Tennebacensem, componere studeat hortatur Marchionem Badensem, Monasterii Lictenthalii Patronum

§. 1. Ea nobis opinio inest pietatis eximiæ, atque virtutis Nobilitatis tuæ, ut ejus esperiendæ occasionem ultro capiamus, idque eo lubentius, quoad nihil impetrare cupimus, quod sacris Ecclesiæ regulis non sit apprime conforme. Retulit Nobis in proxima, quam dedit, villicationis suæ ratione Ven. Fr. Franciscus Spirensis Episcopus, impediri se quominus jurisdictionem suam exerceat in Sanctimonialium Cisterciensium Lictenthalii cœnobium, obsistente Ordinis ejusdem Abbate Tennebacensi, qui omnem sibi arrogat potestatem, in sacrorum canonum, et Apostolicarum sanctionum contemptum, eaque propter rogavit, ut ex Apostolicæ servitutis Nostræ ministerio, quidquid agendum foret consuleremus. Equidem novimus, asceterium illud non tam intra Badensis Ditionis tuæ fines existere, quam a piissimis Majoribus tuis fundatum, ejusque patrocinium, ac tutelam istius florentissimi Marchionatus moderatori, ac Domino esse commissam, atque idcirco, hasce Nobilitati tuæ literas dandas esse censuimus, ut tuis sub auspiciis hæc omnis Episcopum inter, et Abbatem dissentionis causa tollatur: ut vero id sine cujusquam injuria contingat, Ecclesiasticæ, hac in re, disciplinæ regulas paucis attingere præstat.

Ecclesiasticam comemorat disciplinam quoad Episcoporum, et Regularium jurisdictionem in Monialium Monasteriis.

§. 2. Sunt ex una jura quedam Episcoporum propria, etiam in Monasteriis, quæ Regularibus Prælatis subjacent, exercenda: sunt ex altera Regularium Prælatorum privilegia a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris concessa certis circumscripta limitibus, quos nefas est transgredi; juribus ergo suis utatur sic oportet Episcopus, ut Regularium privilegia non abroget, privilegiis vero sic Regularis Prælatus, ut Episcopi potestatem non spernat, quod si inter utrumque oriatur dissentio, Nostrum est præcipere ut ambo intra præscriptos fines contineantur, qui vero Advocatum ac Patronum gerit, illud præ cæteris spectare debet, ut ad sacrorum canonum normam, Monasterii regimen componatur: quæ nam porro sint tum Episcopi, tum Abbatis in istiusmodi regimine partes, pluribus quidem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii iterpretum sententiis, et Romanorum Pontificium decretis jam sæpius definitum fuit, quæ si fideliter ac rite serventur, quemedmodum fit in Germaniæ Diœcesibus; nulla erit dissidiorum occasio; atque hoc illud est, quod fieri modo petimus, Nobilitate tua interveniente, ut scilicet secundum præfinitam in Apostolicis Constitutionibus normam, concordia, et pax Episcopum inter, et Abbatem sanciatur, litium parcatur sumptibus, a Catholico populo offensiones amoveantur.

Marchioni Badensi plenitudinem divinæ gratiæ implorat Pontifex.

§. 3. Illud demum Nobilitati tuæ persuasum volumus, nihil esse, quod optemus ardentius, nihil quod a bonorum omnium largitore Deo enixius petamus, quam ut præclarissimo generi tuo, masculinam tribuat sobolem, in quam, et Catholica Religio, et pulcherrima possessio ista, hæreditario jure pertranseant, tuoque sub regimine omnia discordiarum semina inter Ecclesiasticos præfocentur, et Fidei Catholicæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, atque securitas constituantur ita, atque firmentur, ut apud vel posteros, vel successores tuos, nomen, ac virtutem tuam perpetuo regnaturam omnes intelligant, damusque paternæ benevolentiæ pignus Apostolicam benedictionem, quam Nobilitati tuæ, lectissimæ Conjugi, ac universæ Familiæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die xx. Maij MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 30. Maii 1761. Ann. III.

## CCXXIII.

Facultatem concedit Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Bavariæ ut non expectato triennii lapsu, comitia habere queant pro eligendo Supremo Præside in alterius precedentis, vita functi, loco.

Dilectis Filiis Præsidi et Religiosis vocalibus, ad comitia Generalia Congregationis Benedictinæ Bavariæ congregatis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Etsi Nobis jampridem perspecta erat singularis observantia vestra in hac Apostolicam Sedem, et magna sedulitas in iis curandis, quæ Monasticam disciplinam respiciunt, nihilosecius tamen opinionis ejusmodi confirmandæ nova emergit occasio ex posterioribus literis vestris, quæ nuperrime ad Nos delatæ fuerunt: siquidem laudavimus captum a vobis consilium, non expectato trienni lapsu, cogendi quamprimum confæderatum Abbatum, Discretorumque comitia, ut in defuncti supremi Præsidis locum, alius sufficiatur, ne Congregatio vestra legitimo capite suo diutius careat: quamobrem facultatem quam postulastis, habendorum hoc anno comitiorum, lubenter concedimus, hortamurque, ut cœnobiticæ Familiæ vestræ eum moderatorem præponatis, qui et Christianæ pietati noviter promovendæ, et Monasticæ disciplinæ sedulo retinendæ, et Ecclesiasticis studiis pie, ac salubriter instituendis utilis, atque idonens magis in Domino censeatur: quod quidem novo huic, quem adlecturi estis poterit facilius contingere ex eo, quod, ea, quæ postmodum proxime consequetur electio supremi Presidis, nisi post quadriennium habenda non erit; interea vero spiritum Sanctum, Nos quoque orare non omittemus, ut mentibus, et cordibus vestris tam gravi in negocio propitius adsit, atque ut idem ipse, ea a Christiano populo in hunc finem exoretur, per alias literas in forma Brevis, Indulgentias de Thesauro Ecclesiæ fuimus elargiti Monasterio Vesofontano, quo electores hac vice convenient, atque interea vobis Dilecti Filii Apostolicam Benedictionem peramanter largimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxx. Maij MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

---

Dat. die 10 Junii 1761. Ann. III.

## CCXXIV.

Bina legata pia a Principe Hieronymo Pamphily relicta pro dotandis puellis orphanis, subveniendisque Miserabilibus familiis Civitatis Viterbii, prævia testamentariæ dispositionis derogatione, Conservatorio nuncupato *delle Zitelle sperse* ejusdem Civitatis applicantur, datis super erogatione peculiaribus normis.

Dilecto Filio Nostro, Jacobo S.R.E. Cardinali Oddi, Cathedralium Viterbiensis, et Tuscanensis, invicem perpetuo unitarum ex concessione, et dispensatione Apostolica, Præsuli.

Clemens Papa XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem, et Apostolicam Benedictionem

Preces porrectæ pro commutatione testamentariæ dispositionis Principis Pamphily, et causæ hujus elarigiendæ commutationis.

§. 1. Exposuisti Nobis quod tunc in umanis agens Hieronymus Princeps Pamphily, in suis sub quibus ab humanis decessit die vi. Decembris anni proximi preteriti in Civitate Viterbiensi, conditis codicillis, summam viginti millium scutorum monenæ Romanæ ad effectum dotandi puellas orphanas, subveniendique pauperibus familiis ejusdem Civitatis, ad tui tamen nominationem reliquit, et alias, prout in ipsius Hieronymi Principis codicillis uberius dicitur contineri; tu vero animo perpendens, quod si legatum hujusmodi justa piam dispositionem ipsius Hieronymi Principis exequaris, magnus earumdem puellarum, ac multo magis familiarum miserabilium hujusmodi numerus, necessitatem tibi imponeret parvum auxilium, subsidiumque illis prebere, ita ut procul dubio dici potest, quod paucis elapis diebus, tam puellæ, quam familiæ prædictæ eadem inopia præmerentur, ac propterea proprium, consentaneumque esse existimas, prædictam viginti millium scutorum summam in tot bonis fructiferis tutis, et securis reinvestiri pro fundo, seu capitali Conservatorii puellarum dispersarum, vulgo *delle Zitelle sperse* nuncupat Civitatis prædictæ

in quo, non solum puellæ pauperes, et miserabiles, verum etiam illæ, quæ in evidenti periculo versantur ammittendi propriam pudicitiam, recipiuntur, asservantur, et aluntur, quod ita tenues reditus habet, ut decem septem, aut decem et octo puellas ad summum, servata etiam rei familiaris curatione in eo retineri, et ali possunt, quanto pro Civitate Viterbiensi hujusmodi numerus sexaginta, et ultra ea de causa haud sufficens existeret, quoniam in ea agriculæ illius territorii, qui pauperes, et miserabiles sunt sese receperunt, ac summa eorum egestas, ac facilitas conversandi magnum periculum pudicitiæ suarum puellarum adducunt, ita ut, si parvo fundo, seu capitali, quod idem Conservatorium de presenti possidet adderentur fructus, reditus, et proventus provenientes ex fundis, seu capitalibus hujusmodi legati viginti millium scutorum, dictis pauperibus puellis orphanis, et familiis miserabilibus distribuendorum, ac alterius legati mille scutorum annuorum per viginti annorum spatium singulis annis dicto Conservatorio persolvendorum itidem relicti, si dicta mille scutorum summa in tot bonis stabilibus singulis annis itidem reinvestirentur, tractu temporis annui fructus, reditus, et proventus hujusmodi Conservatorii, equidem in ipsa Civitate necessarii, ita majores existerent, et in maximum omnium illius pauperum familiarum levamen in perpetum cederent, et tot animæ, quæ propter inopiam, et pravam educationem vitiis toto animo sese dedere, pergunt, in tuto ponerentur, ac proinde facultatem licentiamque id exequendi per Nos tibi concedi plurimum desideras.

Pontifex, commutata testamentaria dispositione Principis Pamphily, bina legata ab eo relicta Conservatorio *delle Zitelle sperse* applicat, sub peculiaribus legibus.

§. 2. Nos piis votis tuis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, nec non manutentioni pauperum familiarum, ac conservationi pudicitiæ puellarum consulere cupientes, ac codicillorum hujusmodi tenorem presentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto habentes, tuis supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut legatum scutorum viginti millium a memorato Hieronymo Principe relictum ad effectum dotandi puellas orphanas, subveniendique pauperibus familiis Civitatis prædictæ ad tui nominationem, tuique libitum, ut præfertur, eidem Conservatorio puellarum dispersarum, vulgo nuncupat *delle Zitelle sperse* ejusdem Civitatis, auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia gratis applices, et assignes, ita tamen ut tam prædicta, quam altera summa scutorum pariter viginti millium monetæ prædictæ, spatio viginti annorum consequenda, vigore alterius legati dicti Hieronymi Principis ad favorem ejusdem Conservatorii, sicut præmittitur, facti, reinvestiatur, ac reinvestiri debeat in tot bonis stabilibus, seu censibus, mature perpensis prius, per circumspectionem tuam, seu pro tempore existentem Episcopum, bonorum et censuum qualitate, natura, et securitate, ita tamen, ut mandatum pro solutione prætii bonorum, et censuum emendorum semper, et quandoque a Deputato dicti Conservatorii faciendum, sive a te, sive ab Episcopo pro tempore existente subscribi omnino debeat, alioquin emptio, et acquisitio pro tempore facta, seu facienda nulla sit eo ipso, et Locis Montium Cameræ Nostræ Apostolicæ non vacabilium, eorumque fructus, detractis expensis necessariis pro manutentione capitalium, ac Ministrorum ad id necessarium, erogentur in alendis, educandisque in supradicto Conservatorio tot puellis miserabilibus dictæ Civitatis Viterbiensis, præsertim orphanis per circumspectionem tuam, ac per pro tempore existentes Episcopos successores niminandis quot proportionabiliter ex dictis annuis reditibus ali, et educari poterunt, iisque dotandis in casu vel Matrimonii, vel Monachationis earumdem puellarum in summa scutorum quinquaginta, compræhensis tamen in dictis scutis quinquaginta, consuetis scutis viginti quoad illas puellas, quibus ab eodem Conservatorio in casibus prædictis dari solent, vel etiam in majori summa pro variis casum circumstantiis prudenti arbitrio tuo, seu pro tempore existentis Episcopi prædicti definienda, dummodo in totum non excedat summam scutorum centum, ad quem effectum debeat deponi per dictum Conservatorium, seu per illius Deputatos, aut administratores pro tempore existentes ex fructibus capitalium, ut petitur, acquirendorum, deponi summa biscentum scutorum in Monte Pietatis dictæ Civitatis, injuncto onere eidem Conservatorio, puellisque in eo pro tempore commorantibus quotidie recitandi Psalmum *De profundis* in expiationem animæ dicti Hieronymi pii Testatoris, celebrandique diem anniversarium ejus obitus cum Missa cantata, aliisque decem lectis, qua itidem die supradictæ puel-

læ, dummodo sufficientem ætatem habeant in ejusdem Hieronymi testatoris, suffragium, sacram Eucharistiam sumere teneantur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus supradicti Hieronymi Principis testatoris, etiam ultima voluntate, quam quod præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per presentes non intendimus dictum Conservatorium, illiusque Institutum in aliquo approbare. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris. Die x Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 10 Junii 1761 Anno III.

## CCXXV.

Viterbiensi Episcopo facultates impertiuntur cedendi antiquum Episcopale Palatium favore Conservatorii *delle Zitelle sperse* ejusdem Civitatis, ad hoc ut major illarum numerum recipi, et ali in eo Conservatorio possit facilius, et comodius.

Dilecto Filio nostro Jacobo S. R. E. Cardinali Oddi, Cathedralium Viterbiensis, et Tuscanensis, invicem perpetuo unitarum ex concessione, et dispensatione Apostolica, Præsuli

Dilecte Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Contemporanea commutatio legatorum piorum Hieronymi Pamphily facta favore Conservatorii *delle Zitelle sperse* commemoratur.

§. 1. Exposuisti Nobis, quod hodie, seu nuper Nos ad supplicationem tuam, per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas Literas, tibi facultatem applicandi, et reinvestiendi ad favorem Conservatorii puellarum dispersarum, vulgo *delle Zitelle sperse* nuncupat Civitatis Viterbiensis, non solum summam viginti millium scutorum monetæ Romanæ, a tunc in humanis agente Hieronymo Pamphily, ad effectum dotandi puellas orphanas, ac subveniendi familiis pauperibus Civitatis predictæ, ad tui tamen nominationem relictam, verum etiam aliam summam viginti millium scutorum parium a dicto Hieronymo Principe eidem Conservatorio assignatam, et a Conservatorio hujusmodi, spatio viginti annorum consequendam in tot bonis stabilibus, censibus, et locis montium Cameræ Nostræ Apostolicæ non vacabilium, fructusque annuos ex bonis prædictis provenientes impendendo in levamen, et augumentum dicti Conservatorii, in quo reciperentur tot puellæ, quot ex dictis fructibus ali, et educari possent, concessimas, et alias, prout in dictis Nostris Literis, quorum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Preces porrectæ pro cessione antiqui Palatii Episcopalis in Civitate Viterbii favore ejusdem Conservatorii pro majoris numeri puellarum receptione

§. 2. Nunc vero tu mature perpendens, quod domus dicti Conservatorii ita angusta existit, ut octo, vel novem lectuli in qualibet camera, licet puellarum de presenti in eo existentium numerus viginti duarum minime excedat, retinentur, et sicuti, si dictum Conservatorium magni momenti summam in emptionem, et constructionem, et perfectionem alterius domus magis aptæ imprenderet, annui redditus minuerentur, et propositum, quod præoptatur alendi, educandique in dicto Conservatorio majorem puellarum pauperum et præsertim orphanarum numerum, quibus ipsa Civitas magis, magisque abundat, quæ quidem sive parentibus orbatæ, sive ratione paupertatis, sive incuria genitorum sine cura, et educatione relictæ, previo manifesto periculo amittendi pudicitiam per prædictam Civitatem vagantur, minime assequeretur, tu tot incomodis consulere intendens, consentaneum esse existimas, ut mensa Episcopalis Viterbiensis, quæ spatioso, ac commodo Palatio Cathedrali Ecclesiæ contiguo, quod Episcopi communiter habitare pergunt, satis provisa existit, alium Palatium ad predictam legitime spectans, Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Sixti ejusdem Civitatis adherens, ad favorem dicti Conservatorii cedat, eo magis, quod cessio hujusmodi Palatii nullum damnum, nullumque incomodum Episcopis afferre videtur, qui non assidue illud tam propter deficentiam commodorum necessariorum pro custodia Archiviorum, ac retentione Tabularii, vulgo Cancellaria Curiæ Episcopalis, quam propter distantiam a Cathedrali Ecclesia, in qua Episcopi sacras ecclesiasticas functiones peragere, et explere solent, inhabitant, imo in utilitatem tam eorumdem Episcoporum, qui ab onere peragendi in eo singulis annis necessarias reparationes exempti erunt, quam etiam ejusdem Civitatis propter profectum dicti Conservatorii, per quem honestas, et educatio tot puellarum in tuto positæ veniunt, cederet, ac propterea facultatem donandi, et concedendi eidem Conservatorio Palatium hujusmodi tibi per nos impertiri summopere desideras.

Pontifex antiqui Episcopalis Palatii cessionem approbat.

§. 3. Nos supplicationibus tuis Nobis porrectis inclinati, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut dictum Palatium Ecclesiæ Collegitæ Sancti Sixti, Civitatis Viterbii contiguum, ad mensam Episcopalem Viterbiensem spectans, eidem Conservatorio *delle Zitelle sperse*, ad effectum tamen inserviendi pro usu prædicti Conservatorii, ac pro habitatione puellarum inibi educandarum, auctoritate nostra Apostolica libere, et gratis concedas, dones, assignes, et incorpores, ad super præmissis quodcumque instrumentum necessarium et opportunum conficias, ac plenam, et amplam facultatem, licentiam et auctoritatem tibi super præmissis agendi, et exequendi, concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et generalibus Conciliis edictis Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per præsentes non intendimus dictum Conservatorium, illiusque Institutum in aliquo approbare. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub annulo Piscatoris die x. Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat die 15 Junii 1761. Ann. III.

## CCXVI.

De periculis imminentibus Germanicæ Ecclesiæ in fœdere pro pace inheundo, cum Bavariæ Duce agit, eumque hortatur, ut Religionem, et Ecclesiæ jura protueatur.

*Vide hac super re superiores Pontificias Literas relatas hoc Tom. II. Num. CCXIV. CCXV. CCXVI. et CCXVIII.*

Dilectissimo in Christo Filio Nostro
Maximiliano Josepho
Bavariæ Duci S. R. J. Principi Electori

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Animi anxietatem pro imminenti Germanicis Ecclesiis periculum exprimit, et infelicem Catholicorum statum sub Acatholicis Principibus.

§. 1. Ex multis anxietatibus, quibus hac miserrima tempestate incessanter affligimur, una eademque gravissima est publicus rumor pacis, inter dissidentes bello Principes, non constituendæ, nisi Germanicis quibusdam Ecclesiis opima spolia adimantur ad eorum controversias finiendas: equidem, dilectissime Fili, tanto funestissimi hujus infortunii metu percellimur, ut mœrorem Nostrum quisque melius conjicere, quam Nos explicare possimus; etenim, intuentibus Nobis vetera Catholicæ Religionis vulnera sanguine adhuc manantia, si tanta insuper calamitas accesserit, et Ecclesiastici Ordinis potentia, ac splendor adhuc imminuantur, ecquis non videt quantum futura sint novissima pejora prioribus: illud etiam Nobilitati tuæ exploratum est, quod molestiis, difficultatibus, ærumnis, Nostrisque commentis quotidie magis premantur, non tam Acatholicorum Principum Catholici subditi, quam iidem ipsi Principes Viri, qui ad Ecclesiæ matris gremium redierunt, quibus proinde votis, ac gemitibus flagitent, ut impune viam salutis tenere sibi liceat, et Catholicæ disciplinæ sacris libere uti.

Bavariæ Ducem hort[illegible] pro Duc[illegible] suæ [illegible]one, detrimentum afferi[illegible] Ecclesiasticis in Germania rebus non sinat

§. 2. In hac amarissima cogitatione defixi, quid aliud possumus, quam manus Nostras levare in cœlum, Deumque effusis lacrymis apprecari, ne propter peccata Nostra impendentem hanc procellam, Dominicum agrum depopulari sinat, dein ad carissimos Romanæ Ecclesiæ Filios paternas voces convertere, iisdemque ortodoxæ fidei tutelam, Ecclesiarum patrimonia, uno verbo, Dei causam, ardentissime commendare, ut exerant singuli vires suas ad ejusmodi iniquissimam conditionem a novo fœdere pacis eliminandam: neminem vero præ cæteris decet magis, quam Nobilitatem tuam ad excidium hocce amoliendam admiti, agitur enim de Germanici corporis constitutione immutanda, cujus nobilissima pars est *Bavarica* Domus, constabiliti ordinis, antiquarumque sanctionum retinentissima: *eæ præterea tanto in discrimine versantur Ecclesiæ, quibus jamdiu Duces Bavarici præfuerunt, atque adhuc præesse possunt quæque idcirco præsidium tuum proprio quasi jure postulare videntur.* Age igitur, dilectissime Fili, macte animo, Majorumque tuorum, quæ domi habes exempla pulcherrima imitare, *inter quos Augustissimus Parens tuus, oblatam sibi conditionem ejusmodi, fortiter, ac generose repudiavit*, sicque demum constitue, nihil Deo gratius, nomini tuo gloriosius, ortodoxæ fidei utilius efficere te posse, quam si authoritate, opera, officiisque tuis sartas, tectasque eas servabis Ecclesias, quibus ut aliquando posteri

quoque tui præsidere queant, Deum enixis precibus orare non prætermittimus, damusque et singularis benevolentiæ, et fælicis auspicii pignus Apostolicam Benedictionem, quam nobilitati tuæ et lectissimæ Conjugi toto corde largimur. Datum in Arce Castri Gandulphi Albanen Diœcesis, sub Annulo Piscatoris die XIII. Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

Dat. die 13 Junii 1761 Ann. III.

## CCXXVII.

Passaviensi Episcopo de imminenti Germanicarum Ecclesiarum periculo scribit, eumque hortatur, ut futura hæc damna a Religione, quantum illi permittitur, avertat.

*Vide quæ notavimus superiori numero, qui ad hanc ipsam materiam se habet.*

Dilecto Filio Nostro Josepho Dominico Tituli S. Petri in Monte aureo Præsbytero S. R. E. Cardinali de Lamberg nuncupato, Episcopo Passaviensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Pro impendentibus Germaniæ Ecclesiæ malis præconceptum exprimit dolorem

§. 1. Durum sane, ac pene incredibile in eam incidisse Nos temporum calamitatem, in qua de pace inter Christianos Principes concilianda, sermo institui nequeat, quin Ecclesiarum patrimonia dispertienda proponatur: ecce autem idem ille tristissimus rumor, qui Sa. Me. Benedictum XIV. decessorem Nostrum, omnesque Germaniæ Antestites tamdiu vexavit, rursus emersit in lucem, et quotidie increbrescit ad humilitatem quoque Nostram, aliosque dilectos Filios Nostros, ac venerabiles Fratres, novis gravioribusque animi angoribus cruciandos. Ac jure quidem, meritoque contristari omnes insimul, ac ingemiscere oportet, nam si veteribus malis, quæ jamdiu lugemus, novum istud accesserit infortunium, et Episcopalis dignitas, juribus, ornamentis, opibusque suis denudata ad commissum sibi gregem tuendum, tegendumque imbecillior evaserit, satis compertum est quantum detrimenti Catholica Religio sit perceptura.

Quæ futuræ sint in Germania Catholicis, molestiæ quatenus Ecclesiæ juribus, opibusque priventur, exponit.

§. 2. Nostrum quidem non est ea, quæ Germanici corporis immutationem, rerumque publicarum perturbationem respiciunt latius persequi, melius enim quam Nobis tibi sunt cognita, sed illud dissimulare nequimus, Catholicos omnes non tam eos, quibus hæretici dominantur, quam ipsos etiam Principes Viros, majoribus in dies pressumiri difficultatibus, molestiis, pactionibus, ærumnis ad novos durioresque Catholicæ disciplinæ, et Ecclesiasticæ libertati compedes injiciendos; neque demum prætereundum est, curam hanc, atque sollicitudinem, non eos solum attingere, quibus procella isthæc proprius impendet, sed Præsules cunctos, et sacrorum Antistites, tum ex eo sanctissimæ unitatis vinculo, quo Ecclesiæ Christi arctissime copulantur, tum vero etiam propterea quod ubi turbo iste in Dominicam vineam semel, ac iterum irruere cœperit, non quiescet, donec et fructus, et palmites, et sæpes vastaverit omnes: adeamus igitur cum fiducia thronum Dei, fervidisque obsecrationibus, ac lacrymis, quæ sunt arma Sacerdotum, deprecemur, ne vertatur hæreditas nostra ad alienos, Domus nostræ ad extraneos, deinde satagat unusquisque pro viribus suis, et ardentissima illa charitate, qua Christi sponsæ conjungimur, cujus auferendæ, minuendæve dotis agitur causa, ut excidium hocce qua aucthoritate, qua precibus, qua officiis omnino amoliatur.

Sedulitate summa curasse, ne Germaniæ Ecclesiæ injuriam patiantur, commemorat, auxiliumque a Passaviensi Episcopo sibi promittit.

§. 3. Porro ad Nos quod attinet, non ut gloriemur dicimus, sed Apostolico muneri Nostro ne defuisse videamur, vel a principio Pontificatus Nostri ad primos, quamvis suboscuros rumores, qui huc pervenerant datis ad summos Catholici nominis Reges efficacibus literis, et Apostolicis quoque nunciis, qui apud illos sunt, mandato Nostro intervenientibus, sedulo curavimus, ut hæc prolixe inculcarentur, at vero de illorum insigni pietate, ac religione fatendum est perpexisse Nos probe, eos intelligere non minus gravissimum orthodoxæ Religionis damnum, quam luctuosam rerum confusionem, quæ inde consequeretur; modo autem indicto Augustæ Vindeliciorum ad fœdera pacis concinnanda conventu, cum hic molestissimus rumor iterum invaluerit, Nosterque simul revixerit motus, eorum præsidium, et opem novis literis imploravimus, exemplum Sanctæ Memoriæ decessoris Nostri adamussim sequuti, qui cum præterea hunc in finem ad aliquos insigniores Germaniæ Anti-

stites studiosissimas dedisset literas, Nos quoque vestigiis ejusmodi inæherentes, pro ea, qua fulges, sublimi dignitate, ac ministerio, ut sollicitudinem adjuves Nostram, nullumque vel diligentiæ, vel officii genus periclitantibus Ecclesiis desiderari sinas, te quantum possumus hortamur, rogamus, et obtestamur in Domino, non quod de tua eximia pietate, ac Religionis tuendæ studio vel minimum dubitemus, sed quia pro imposita Nobis Apostolicæ servitutis munere non possumus, quin ubi communis est causa, commune periculum, communem etiam curam, sedulitatem, et operam exquiramus, damusque paternæ benevolentiæ pignus, Apostolicam Benedictionem, quam tibi dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum in Arce Gandulphi Albanen Diœcesis sub annulo Piscatoris die xiii. Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

Nondum præcedentibus Literis expeditis, Passaviensis Episcopus, Summo Pontifici Germanicas res commendat, deque sedulitate sua testimonium præbet, quod Pontifici perjucundum evenit.

§. 4. Vix datis his literis, tuæ ad Nos pervenerunt, quibus ad hoc ipsum hortabaris, neque propterea a transmittendis supersedendum fore censuimus ut plane perspiceres, quantum ea quæ monuisti, ac prestitisti perjucunda Nobis accederint, hoc autem discriminis inter Fraternitatem tuam, aliosque ad quos scripsimus, intercesserint, ut quæ ipsis incitamento erunt, tibi honori, atque ornamento, quod pro ea, quam tenes amplissima dignitate, consilia Nostra præveneris, omemque curam, atque sollicitudinem impenderis ad earum Ecclesiarum, quarum nonnullæ Provinciæ sunt tuæ, pericula avertenda. Dum igitur debitas laudes, et gratias vigilantiæ tuæ persolvimus, Apostolicam Benedictionem iterum toto corde largimur.

## CCXXVIII.

Dat. die 14 Junii 1761 Anno III.

Damnatio, et prohibitio versionis Italicæ, operis Gallice scripti hoc titulo: *Exposition de la Doctrine Chretienne, ou Instructions sur les principales verités de la Religion*, editæ quinque Voluminibus, quorum primo titulus est. *Spiegazione del Simbolo della Fede Cattolica*; Secundo: *Esposizione Dominicale*; Tertio: *Esposizione del Decalogo*; Quarto: *Esposizione de' Sagramenti*; Quinto: *Esposizione de' Comandamenti della Chiesa, con la giunta di un trattato della giustificazione*,

*Vide quæ de perniciosorum Librorum prohibitione adnotavimus ultimo loco in hujus Continuationis Tom. I. Numero. LXXXIV. ubi de precedentibus prohibitionibus sermo est.*

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei Memoriam

Jam opus hoc Gallico Idiomate impressum, prohibitum fuisse Decreto 21 Novem. 1757 exponit.

§. 1. Dum inter gravissima rei Catholicæ quotidie illata dispendia, ob quæ diu noctuque mœrentes angimur, eo potissimum nomine acerbius etiam dolemus, quo erumpens ubique perniciosorum librorum colluvies, animas pretioso Christi sanguine redemptas in discrimen adducat: multorum querela Nostrum et Sedis Apostolicæ pulsavit auditum, opus quoddam Gallice scriptum, et in plures tomos, sine nota auctoris, distributum, hoc titulo: *Exposition de la Doctrine Chrêtienne, ou instructions sur les principales verités de la Religion*, etsi decreto Congregationis Indicis diei 21. Novem. MDCCLVII. confixum, nihilominus è Gallico in Italicum idioma versum, ac typis excusum, vulgatis huc illuc ex industria innumeris ejusdem exemplis, per omnium manus effræni licentia traduci. Novimus illico, et Nobiscum unà norunt Apostolicæ Sedis mandatis obsequentes filii, versionem hujusmodi suapte natura declinare non potuisse prohibitionis jaculum, quo ictum jampridem fuerat primævum opus Gallica lingua scriptum; immotamque stare, regulam ab eadem Apostolica Sede toties aperte declaratam, opus nempe uno aliquo idiomate editum, atque proscriptum, quocumque alio versum sit, eadem proscriptione notari; nullumque versioni comparari præsidium, si illa pri-

vato tantum ingenio, non autem eorum, ad quos spectat, legitima auctoritate castigata comperiatur. Cura tamen Dominici gregis humilitati Nostræ concredita, sanæque doctrinæ custodia Nobis divinitus demandata, cujus Christo Domino, æternoque Pastori in districtissimo judicio sumus rationem reddituri, Nos admonuit, non oportere in alias vulgata, et adhuc perseverante prohibitione conquiescere; sed omnem conferendam esse sollicitudinem, ne oves, specie pietatis, quam opus exhibet, illectæ, et cortici fortasse, non hausta prorsus medulla, inæhcrentes, inficerentur, pravarum, et alias ab Apostolica Sede proscriptarum opinionum latitante fermento, neve cum bonis seminibus immixtas spinas contrectantes, suas sibi confoderent manus, et miserrime cruentarent. Porro impensiorem esse debere intelleximus paternam hanc Nostram sollicitudinem, quia opus prædictum *rudes in fide, et lacte quodammodo indigentes, docet* ( ut ait Apostolus ) *quæ sint elementa exordii sermonum Dei*; ideoque solertius cavendum ne obtentu pietatis, in errorem inducantur, *qui pro consuetudine exercitatos admodum non habent sensus ad discretionem boni et mali.*

Italicam modo versionem novo accepto theologorum consilio damnat, et prohibet

§. 2. Hanc itaque Italicam prædicti operis versionem, quinque constantem voluminibus, quorum primum hanc præferret Inscriptionem: *Esposizione del Simbolo della Fede Cattolica. In Napoli MDCCLVIII. nella Stamperia Simoniana con licenza de' Superiori*, Secundum: *Esposizione dell'Orazione Dominicale*; Tertium: *Esposizione del Decalogo*, ibidem, anno MDCCLIX eodemque prælo; Quartum: *Esposizione de' Sagramenti*; Quintum *Esposizione de' Comandamenti della Chiesa, con la giunta di un trattato della giustificazione*, eodem loco, anno MDCCLX iisdemque typis, ut titulus se habet, excusa, iterum expendi jussimus a Sacræ Theologiæ Magistris, quos ad illius examen specialiter delegimus; eorumque acceptis sententiis, auditisque in Congregatione Generali, coram Nobis die 28. Maii currentis anni habita, suffragiis Venerabilium Fratrum Nostrorum, S.R.E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Inquisitorum Generalium a Sede Apostolica specialiter deputatorum, iisque plene et mature perpensis, supradictam Italicam versionem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium damnamus, et reprobamus, utpote continentem propositiones respective falsas, captiosas, male sonantes, scandalosas, periculosas, suspectas, temerarias, contrarias Apostolicis decretis, et Ecclesiæ praxi, et consentaneas propositionibus jam ab Ecclesia damnatis atque proscriptis; ejusdemque operis, tam Gallice scripti, quam Italice versi, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscripti, ubicumqoe, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione, etiam sub prætextu cujuscumque correctionis, privato cujusvis ingenio factæ, aut faciendæ, hactenus impressi, aut imposterum ( quod absit ) imprimendi, novam impressionem, aut versionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum, omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus, et interdicimus: Volentes, eademque Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque opus prædictum, ejusve præfatam versionem, apud se habuerint, illud, et illam, statim ac præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere et consignare teneantur; hi vero sibi sic tradita exemplaria curent supprimere, ne ad aliorum manus perveniant. Ut autem eædem præsentes Litteræ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam earum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursosibus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui: Sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, et intimatæ fuissent: ipsarum autem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate coustitutæ munitis, eamdem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur iisdem præsentibus, si exhibitæ forent vel ostensæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris die XIV. Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

## CCXXIX.

Dat. die 14 Junii 1761 Anno III.

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Universæ Ecclesiæ Catholicæ de uniformi fidelium instructione in Catholica fide agit, et Cathechismi Romani præstantiam, et utilitatem, demonstrat, atque comendat.

Clemens PP. XIII.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quantum intersit fideles in Catholica doctrina erudire, et conservare ne incauti in errores dilabantur.

§. 1. In Dominico agro, cui excolendo, divina disponente providentia, præsumus, nihil tam vigilantem curam, et perseverantem requirit industriam, quam jacti boni seminis, Catholicæ nimirum doctrinæ a Christo Jesu, et ab Apostolis acceptæ, nobisque traditæ custodia; ne si pigro otio, et inerti desidia negligatur, dormientibus operariis, inimicus humani generis superseminet zizania; ex quo fiat, ut in die messis, potius quam condenda in horreis, inveniantur ea, quæ urenda sint flammis. Atque ad tuendam quidem semel traditam (1) Sanctis fidem Nos, vehementer excitat Beatissimus Paulus, qui Timotheo scribit, ut bonum (2) custodiat depositum, quod periculosa (3) tempora instarent, cum in Ecclesia Dei homines (4) mali, et seductores existerent, quorum opera adhibita insidiosus ille tentator, his erroribus incautas mentes conaretur inficere, qui sint Evangelicæ veritatis inimici.

Maximi detrimenti est si pravæ sententiæ contra Fidei puritatem introducantur.

§. 2. Verum si, quod sæpe accidit, quædam in Ecclesia Dei sese extulerint pravæ sententiæ, quæ adversis quidem sibi frontibus pugnantes, in eo tamen conspirent, ut Catholicæ fidei puritatem quoquo modo labefactent; tum vero difficillimum est, ea cautione inter utrumque hostem ita nostrum librare sermonem, ut nulli eorum terga vertisse, sed utrosque Christi hostes æque vitavisse, et condemnasse videamur. Atque interdum res est ejusmodi, ut facile diabolica falsitas, veri quadam similitudine, coloratis se tegat mendaciis, dum vis sententiarum brevissima adjectione, aut commutatione corrumpitur, et confessio, quæ operabatur salutem, subtili nonnunquam transitu vergat in mortem.

Avertendi a previs hisce sententiis fideles, sunt præsertim vero qui rudiore, et simpliciore ingenio pollent.

§. 3. Ab his propterea lubricis, angustisque semitis, quibus insistere, aut ingredi sine prolapsione vix possis, avertendi sunt fideles, ac præsertim qui rudiore sint ac simpliciore ingenio: nec per invia loca ducendæ sunt oves ad pascua: nec singularia quædam, etiam Catholicorum Doctorum, placita iis sunt proponenda: sed illa certissima Catholicæ veritatis nota tradenda est, doctrinæ universitas, antiquitas, et consensio. Præterea cum non possit vulgus ascendere (1) in montem, in quem gloria Domini descendit; et transcendens terminos ad videndum peribit; termini figendi sunt populo ab ejus Doctoribus per circuitum, ut ultra ea, quæ sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, sermo non divagetur, et fideles Apostolico dicto pareant: non plus (1) sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Ad quas pravas sententias vel removendas toto studio incubuerunt Romani Pontifices, prospexitque Tridentinum concilium Romani Catechismi evulgationem demandando.

§. 4. Hæc cum probe intellexissent Romani Pontifices prædecessores Nostri, in id omnem suam operam contulerunt, ut non modo venenata germina subnascentium errorum anathematis gladio præciderent, sed etiam subcrescentes opiniones quasdam amputarent, quæ vel redundantia in Christiano populo, fidei uberiorem fructum impedirent, vel fidelium animis proximitate nocere possent erroris. Post quam igitur Tridentina Synodus, eas, quæ tum temporis Ecclesiæ lucem obfuscare tentaverant, hæreses condemnavit, et Catholicam veritatem, quasi discussa errorum nebula, in clariorem lucem eduxit; cum iidem prædecessores Nostri intelligerent, sacrum illum universalis Ecclesiæ conventum, tam prudenti consilio, tantaque usum esse temperantia, ut, ab opinionibus reprobandis abstineret, quæ Doctorum Ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur; ex ejusdem sacri Concilii mente aliud opus confici voluerunt, quod omnem doctrinam complecteretur, qua fideles informari oporteret, et quæ ab omni errore quam longissime abesset. Quem librum *catechismi Romani* nomine typis impressum evulgarunt;

(1) Judæ 3.
(2) II. Tim. I. 14.
(3) Ibidem III. 1.
(4) Ibidem v. 13.

(1) Exod XIX. 12.
(2) Rom. XII. 3.

dupliciter in ea re laudandi. Nam et illuc eam doctrinam contulerunt, quæ communis est in Ecclesia, et procul abest ab omni periculo erroris; et hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt, ita Christi Domini præcepto obtemperantes, qui Apostolos dicere (1) in lumine jussit, quod in tenebris ipse dixisset, et quod in aure audierant, super tecta prædicare, Ecclesiæque sponsæ obsequuti, cujus illæ voces = indica (2) mihi ubi cubes in meridie = ubi enim non sit meridies, atque ita perspicua lux, ut liquido veritas congnoscatur, facile pro ea recipitur falsitas propter veri similitudinem, quæ in obscuro difficulter a vero discernitur. Noverant enim fuisse antea, et deinceps futuros, qui pascentes invitarent, et sapientiæ, scientiæque uberiora promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquæ (3) furtivæ dulciores sunt, et suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur Ecclesia post greges sodalium, qui et ipsi sint vagi, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, (4) nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; idcirco quæ ad salutem tantummodo essent necessaria, et maxime utilia, clare in Romano Catechismo, et dilucide explanata, christiano populo tradenda proposuerunt.

Damna, quæ obvenere ex successiva aliorum Cathechismorum publicatione, qui cum Romano laudsunt comparandi.

§. 5. Verum hunc librum non mediocri labore et studio compositum, omnium consensione probatum, ac summis laudibus exceptum his temporibus e Pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios Catechismos extulerit nullo modo cum Romano comparandos: unde duo mala extiterunt, quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio, oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi jam non amplius esse videantur in terra labii (5) unius, et sermonum eorumdem: alterum, quod ex diversis variisque tradendæ Catholicæ veritatis rationibus ortæ sunt contentiones, et ex æmulatione, dum alius se Apollo, alius Cephæ, alius Pauli se dictitat sectatorem, disjunctiones animorum, et magna dissidia: quarum dissentionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitialins putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos e Christiana disciplina æquum est fideles percipere, calamitosius. Itaque duplex hoc malum ut ab Ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeundum, unde quidam parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in Ecclesia jactitent sapientiores, jamdudum fidelem populum avocaverant; et eumdem Cathechismum Romanum, Pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus; ut qua ratione confirmata olim fuit Catholica fides, et in doctrina Ecclesiæ, quæ est columna (1) veritatis, fidelium mentes corroboratæ, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio, nec antiquitas suffragatur, quam longissime avertantur. Atque parabilior ut fieret liber, et maculis, quas operarum vitio contraxerat, emendatior, illum ad ejus exemplum, quem S. Pius V prædecessor Noster ex Tridentinæ Synodi decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia excudendum in Alma Urbe curavimus; qui in popularem sermonem ejusdem S. Pii jussu conversus, et editus, propediem mandato itidem Nostro, typis impressus, denuo prodibit in lucem.

Romani Catechismi usum universis Christianæ Reipublicæ Pastoribus, pro unico fidelium pabulo commendat.

§. 6. Quod igitur hoc Christianæ Reipublicæ difficillimo tempore, ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium cura Nostra præbet et diligentia, vestrum est, Venarabiles Fratres, operam dare, ut a fidelibus recipiatur. Ac propterea hunc librum, quem veluti Catholicæ Fidei, et Christianæ disciplinæ norma, ut etiam in tradendæ doctrinæ ratione constaret omnium consensio, Romani Pontifices Pastoribus propositum voluerunt, vobis Venerabiles Fratres nunc maxime commendamus, Vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut jubeatis ab omnibus, qui animarum cusam gerunt, in informandis Catholica veritate populis adhiberi, quo tum eruditionis unitas, tum charitas, animorumque servetur concordia. Vestrum enim est tranquillitati omnium studere; quæ denique sunt partes Episcopi: qui propterea illuc intentos oculos habere debet, ne quisquam propter suos honores superbe agendo schismata faciat, unitatis compage disrupta.

Catholicæ Ecclesiæ pastores hortatur ut

§. 7. Nullum tamen aut certe exiguum hi libri fructum præbebunt uti-

(1) Math. X. 27.
(2) Cant. I. 6.
(3) Prover. IX. 17.
(4) II. Tim. III. 7.
(5) Gen. XI. 1.

(1) I. Tim. III. 15.

idoneos seligant viros pro fidelium eruditione in Christianis doctrinis.

litatis, si qui eos proponere, et explanare audientibus debent, minus docendo sint ipsi idonei. Itaque permagni interest, ut ad hoc munus Christianæ doctrinæ populo tradendæ, homines eligatis, non modo sacrarum rerum scientia præditos, sed multo magis et humilitate, et sanctificandarum animarum studio, et charitate flagrantes. Tota enim Christiana disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. Sunt enim, quos major quidem scientia erigit, sed a cæterorum societate disjungit; et quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiunt: qui sapientia ipsa, Dei verbo admonentur: Habete (1) sal in vobis, et pacem habete inter nos ita enim sapientiæ sal habendum, ut eo proximi amor custodiatur, et infirmitates condiantur. Quod si a sapientiæ studio, a cura etiam proximi ad discordias vertantur, sal sine pace habent; non virtutis donum, sed damnationis argumentum; et quo melius sapiunt, eo deterius delinquunt; quos quidem damnat Jacobi Apostoli sententia illis verbis: Quod si zelum (2) amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus est, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine æmulatione.

Vota pro pace, et spirituali unione fidelium, precesque Deo porrigit,

§. 8. Dum ergo Deum in humilitate cordis et afflictione animæ deprecamur, ut diligentiæ atque industriæ Nostræ conatibus, suam impertiat indulgentiæ, et misericordiæ largitatem, ne dissensio populum fidelem disturbet, utque in vinculo pacis, et in charitate spiritus, unum sapiamus omnes, unum laudemus, et glorificemus Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, Vos Venerabiles Fratres salutamus in osculo sancto; vobisque omnibus, itidemque cunctis Ecclesiarum vestrarum fidelibus, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum in Arce Castri Gandulphi die XIV. Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno III.

(1) Marc. IX. 49.
(2) Jacob. 14.

## CCXXX.

Dat. die 16. Junii 1761 Anno III.

Regulæ, atque Statuta Confraternitatis S. Sebastiani, et S. Barbaræ Virginis, et Martyris in Parochiali Ecclesia Bergensi, in Territorio et Principatu Monasterii S. Galli Ordinis S. Benedicti, Nullius Diœcesis Provinciæ Maguntinæ, confirmantur, et approbantur, cum concessione Indulgentiarum.

Clemens Papa XIII.
Ad futuram rei memoriam

Exordium

§. 1. Ad Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinæ sapientiæ, atque clementiæ abundantiam evecti, ea, quæ a Christifidelibus quibuscumque pro salubri Confraternitatum pie, sacteque institutarum, uberesque pietatis fructus, Deo adjuvante, atque incrementum dante, proferre jugiter satagentium directione, felicique personarum illis adscriptarum in via mandatorum Dei progressu, provide, prudenterque constituta, et ordinata esse dignoscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Confraternitas antiquitus erecta, per centum annos ingravescentibus in Germania hæresibus extincta, ad pristinum statum restituta fuit anno 1640.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, et Confratres Confraternitatis sub invocatione Sancti Sebastiani Martyris, ac Sanctæ Barbaræ Virginis, et Martyris, canonice ab immemorabili tempore in antiquissima Baroli Ecclesia Bergensi, in Territorio, et Principatu Monasterii Sancti Galli, Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœcesis, Maguntinæ Provinciæ, sub jurisdictione pro tempore existentis Abbatis ejusdem Sancti Galli sita, erectæ, quod postquam novi sectatores Lutherus, Zuwinglius, et Calvinus pæstiferum hæresis venenum, etiam in circumjacentes terras, et insuper adeo Sancti Galli prædicti territorium intulerant, ipsa Confraternitas per centum circiter annorum spatium suppressa, et fere extincta remansit, donec Anno MDCXL tunc existens ejusdem Sancti Galli Abbas, Confraternitatem prædictam ad suum pristinum statum, et decorem, pro eo, quem erga Catholicam fidem gerebat devotionis affectum, et zel restituere curavit, in qua utriusque sexus Christifideles ad hanc usque diem semper se se adscribi facere curarunt, et pergunt, pro felici,

prosperoque ipsius Confraternitatis regimine, et gubernio, salubrique pietatis, et Christianæ charitatis operum, quibus ipsi Confratres, et Consorores juxta laudabile eorum institutum assidue incumbunt directione, et perpetua conservatione, nonnulla statuta ab Ordinario approbata condita reperiuntur, tenoris, qui sequitur videlicet.

Refertur novorum statutorum tenor.

Leges, et Statuta Confraternitatis S. Sebastiani Martyris, et S. Barbaræ Virginis, et Martyris in Ecclesia Parochiali Bergensi

Confraternitati Præses perpetuus Parochus Ecclesiæ Bergensis præficitur.

1. Cum omne corpus phisicum » suo capite carere non possit, ideo » etiam hæc devota fidelium Congre» gatio, sub patrocinio Sancti Sebastia» ni Martyris, et Sanctæ Barbaræ Vir» ginis, et Martyris collecta, pro per» petuo Præside, et Directore habeat » Rñdum Dominum Parochum, et Cu» ratum dictæ Ecclesiæ Parochialis Ber» gensis, pro tempore existentem, pe» nes quèm legitima sit potestas, non » solum fideles utriusque sexus, et » cujuscumque status, albo Fratrum, » et Sororum dictæ Confraternitatis in» scribendi, sed etiam piam hanc Con» gregationem juxta præsentium Statu» torum tenorem regendi, et guber» nandi.

Designatur finis ad quem Confraternitatis hujusce pia exercitia diriguntur.

2. Finis præcipuus, ad quem » omnis devotio, et singularium exer» citiorum pietas, in hac Confraternitate » collimat, post Altissimi gloriam, » Sanctorumque Patronorum cultum, » est, salus animarum æterna, et » aeris salubritas, ut per interces» sionem, et tutelam Beatissimorum » Patronorum Sebastiani Martyris, et » Barbaræ Virginis, et Martyris cle» mentissimus Deus, a ditione Sancti » Galli evertere dignetur pæstilentiam, » omnesque morbos contagiosos atque » Fratres, et Sorores hujus Confrater» nitatis a subitanea, et improvisa morte » liberare, eisque gratiam ultimorum » Sacramentorum una cum bona mor» te, et felici transitu ad æternitatem » impertiri velit.

Pia exercitia a Confratribus exercenda, aggregationis die.

3. Ea die, qua quis in hanc Con» fraternitatem suscipitur, et a R.D. » Præside albo Sodalium inscribitur, » Sancta Sacramenta Pœnitentiæ, et » Eucharistiæ digne, et devote susci» piat, ut per misteryum reconciliatio» nis, et immortalitatis alimoniam, » Deum sibi pro temporali, et æterna » vita propitium reddat. Eadem cura » peracta peccatorum humili confessio» ne, accedat ad Sacræ Mensæ Com» munionem die festo Sancti Sebastiani » Martyris, nec non Sanctæ Barbaræ » Virginis, et Martyris, præcipue, ut » ante mortem, Sanctissimo Altaris Sa» cramento veluti Viatico, ad ultimam » Eucharistiam pro æternitate conforta» ri, et muniri mereatur, singulis annis.

Festivæ solemnitates a Confratribus celebrandæ.

4 Ut Sanctis Patronis singularis » cultus, et honor exhibeatur in dicta » Ecclesia Parochiali Bergensi, veluti » loco huic Confraternitati designato, » singulis annis solemniter celebrabitur » Festum Sancti Sebastiani Martyris » die 20 Januarii, et Festum Sanctæ » Barbaræ Virginis, et Martyris die 4 » Decembris, qua utraque die Fratres, » et Sorores ibidem interesse studebunt » Concioni, et Sanctæ Missæ Officio, » sub quo publice adorationi, et de» votioni exponetur in Ostensorio San» ctissimum Altaris Sacramentum. Si » quis vero iisdem diebus in Ecclesia » Confraternitatis comparere non pote» rit, saltem alibi Sanctæ Missæ Sa» crificio assistere, piasque ad Deum » preces pro felici statu Confraternita» tis, et sodalium incolumitate effun» dere non negligat.

De annuis anniversariis pro Confratribus defunctis, deque oblationum confratruum erogatione.

§. 5. » Singulis annis in sæpedicta » Ecclesia Confraternitatis celebrantur » duo anniversaria pro defunctis Fra» tribus, et Sororibus ex eadem soda» litate, primum post Festum Sancti » Sebastiani Martyris, alterum vero post » Festum Sanctæ Barbaræ Virginis, et » Martyris, ad quæ, prævie denuncia» ta, Sodales diligenter concurrere, et » pro Defunctorum requie piis preci» bus, et oblationibus Deum oxorare » satagent, oblationes vero omnes, quæ » in utriusque Patroni festo die, et in » anniversariis a fidelibus fiunt, appli» cantur ipsi Confraternitati ad susti» nendos sumptus anniversariorum, et » ipsius Ecclesiæ, dictis diebus.

Preces a Confratribus recitandæ statutis temporibus.

§. 6. » Ut Sodales jugiter memine» rint devotionis, cui se addixerunt præ» dicto cultu, et honore Beatissimorum » Patronorum, Sebastiani, et Barbaræ, » singulis saltem septimanis ad eorum» dem venerationem, pro obtinendo fi» ne ipsius Sodalitatis, hoc est, aver» tenda pæste, et impetranda cunctis » Sodalibus bona morte, devote recita» bunt quinquies Orationem Domini» cam, et salutationem Angelicam, cum » Symbolo Apostolorum, et devoto su» spirio *Laudetur in æternum Sanctis» »simum Altaris Sacramentum.*

Devote colant Confratres Au-

§. 7. » Quamvis omnes fideles te» neantur, augustissimum Altaris Sacra-

gustissimum EucharistiæSacramentum, et a blasphemiis se se abstineant

» mentum magna fide, pietate, et amore prosequi, singulariter tamen hujusce Sodalitatis membra caveant, ne per sacrilegam sumptionem hujus tremendi simul et amabilis Misterii, per blasphemas usurpationes nominis Sanctissimi Sacramenti, per irreverentias in ejusdem præsentia, et Sanctissimo Missæ Sacrificio exhibitas, indignos se reddant fructu tam Divini, et potentis remedii salutis, et gratia sacri Viatici in mortis articulo: quin potius omni conatu se demonstrent insignes Sanctæ Eucharistiæ cultores, ut in vita, et in morte dulcissimum inde solatium, et Redemptionis fructus copiosissimos sentiant.

Studeant Confratres ut charitatis, et misericordiæ operibus vacent.

§. 8. » Sodales, utpote singulari fœdere in Domino conjuncti, ad opera charitatis, et misericordiæ corporalia, et spiritualia erga se multis incumbant; præsertim erga Infirmos, quos variis solatiis sublevare, et ut SS. Sacramentis in tempore provideatur curare studeant.

De comparticipatione inter Confratres bonorum operum a singulis gestarum.

§. 9. » Denique omnes Sodales, eo ipso, quod huic Confraternitati se associari petunt, bonorum operum, quæ intuitu istius Sodalitatis exercent, communem inter se participationem habeant, ut uno corde, et pari spiritu honorificent Dominum; et sub patrocinio, et tutela Sanctorum Patronorum, optatum hujus sodalitatis fines obtinere mereantur.

Quomodo ad horum statutorum observantiam Confratres teneantur.

§. 10. » Hæ tamen leges, et Statuta, neminemSodalium sub ullo etiam venialis peccati reatu obligent, nisi in quantum alias Divina, aut humana lege fideles quosvis obstringunt. Si tamen aliquis in earum observatione negligens fuerit, sciat, se pro tempore omissionis, etiam comunis meriti participatione, aliisque dictæ Confraternitatis privilegiis, gratiis, et indulgentiis cariturum.

## INDULGENTIÆ

Referuntur indulgentiæ, quibus dotatur hoc Sodalitium

» *Quæ pro sodalibus Confraternitatis SS. Sebastiani, et Barbaræ Virginis, et Martyris a summa S. Sedis clementia petuntur.*

1. » Indulgentiæ plenariæ pro die scriptionis singulorum Sodalium, si confessi, et Sancta Communione refecti fuerint.

2. » Indulgentiæ Plenariariæ in Festo Sancti Sebastiani Martyris, et pariter in Festo Sanctæ Barbaræ Virginis, et Martyris, si confessi, et S. Communione refecti, Ecclesiam Confraternitatis visitaverint, ibidemque pias ad Deum preces pro exaltatione Sanctæ Ecclesiæ, extirpatione hæresum, et Catholicorum Principum concordia fuderint.

3. » Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis, si confessi, et S. Communione refecti fuerint; aut si id ipsum præstare non possint, de peccatis sui vere pœnitentes, ore, vel saltem corde SS. Nomina Jesus, et Mariæ devote invocaverint.

4. » Indulgentiæ septem annorum, et septem Quadragenarum, etiam Defuntis applicandæ, pro iis, qui solitis anniversariis Confraternitatis interfuerint.

5. » Item septem annorum Indulgentiæ, quoties Sodales, præscriptas hebdomadarias preces persolvevint.

6. » Centum dierum Indulgentiæ, quotiesSodales devote pronunciaverint: *Laudetur in æternum Sanctissimum Altaris Sacramentum!*

7. » Centum dierum Indulgentiæ, quoties opus charitatis aliquod, cuicumque, Christiane exhibuerint; aut ægrotum visitaverint; aut pro defuncto Sodale oraverint; aut Sanctissimum Sacramentum, quum ad ægros defertur, pie comitati fuerint, aut devota oratione Sanctos Patronos Sebastianum, et Barbaram pro avertenda pæste, aut aliis morbis, aut pro impetranda, sibi, aut aliis bona morte, invocaverint.

» Ut ergo Hæc Pia Sodalitas, una cum legibus, et Statutis supra expositis, a Domino Nostro confirmetur, et Apostolica auctoritate, robur, et vigorem perpetuum accipiat; unaque petitis Indulgentiis, aut aliis etiam donetur, quatenus fideles ad opera pietatis magis accendantur, humillime, et INSTANTISSIME supplicat et pro gratia etc. = P. J. Walset = Rmi Abbatis S. Galli Officialis in Spiritualibus Generalis.

Supra relata statuta, et indulgentiæ Apostolica auctoritate confirmantur, et approbantur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si

quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta Statuta, sive Regulas, aut Leges, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judiciari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctotate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum apud Arcem Gandulphi sub annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCCLXI., Pontificatus Nostri anno Tertio.

---

Dat. die 17 Junii 1761. Ann. III.

## CCXXXI.

Catholicum Hispaniarum Regem hortatur, ut Germanicarum Ecclesiarum damna in proximo ineundo fœdere pacis avertat, et pro nomine quo pollet, Catholicæ Religionis jura tueatur.

*Consule Num. CCXXVI. supra relatum, adnotationemque in eo appositam.*

Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Catholici Reges auxilio semper fuere in defendendis Ecclesiæ juribus.

§. 1. Mediis in fluctibus in quibus versamur ob Ecclesiarum Germaniæ sollicitudinem, quarum aliquæ, ut calent quotidie magis rumores, in proximo fœdere pacis, patrimoniis dispoliandæ sunt, ad dissidentium bello Principum lites finiendas, magno Nobis solatio est de tua insigni pietate, et Catholicæ Religionis tuendæ studio diligentissimo cogitare: quapropter cum fieri possit, ut de mittendis Augustam Vindeliciorum Legatis deliberes, et quamvis hoc forte non inducas in animum, nihilominus Orthodoxæ Fidei causam, qua authoritate, qua officiis, mandatisque tuis juvare plurimum queas, idcirco de hoc iniquissimo consilio, Majestatem tuam necessarium duximus præmonere, nulla enim est Catholicæ Religionis causa, quæ præstantissimo Regi, qui singulari nomine Catholicus dicitur, sese commendari non postulet, quoque ea gravior est, eo firmius expectat auxilium.

Pluries hæterodoxi Pincipes pertentarunt Germanicas Ecclesias veteribus juribus, et antiquissimis dominationibus expoliare.

§. 2. Et quidem Majestas tua ignorare non potest, extraordinarium hoc pacis ineundæ specimen, non e repente nunc primo natum, sed ab hæreticis jam tum excogitari cæptum, cum vivente adhuc fælicis recordationis Carolo VII. Romanorum Imperatore electo, superiori bello colloquia pacis proponebantur; verum divina opitulante clementia, et non tam Apostolico San. Mem. Benedicti XIV. Decessoris Nostri Ministerio, quam Catholicorum Regum, ac Principum pietate obsistentibus, quibus gloriosissimus Parens tuus Philippus V est accensendus, rejecta fuit, et in eas tenebras, unde emerserat redire compulsa: postea quam vero in lucem hominum rursum erupit, vota Nostra Deo suppliciter nuncupavimus, ut a peccatis populi sui, indignationem suam everteret, neve sineret agrum, et Agricolas suos, tam acerbo infortunio divexari, dein vero laudati Decessoris Nostri vestigia sequentes, præsidium et opem quærimus carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum, quos inter, cum eum teneas locum, qui præclarissimæ tuæ virtuti, regnandique sapientiæ debetur, Apostolicæ servituti Nostræ defuisse videremur, nisi patrocinium quoque tuum ad periclitantium Ecclesiarum defensam studiossime peteremus, siquidem valde timendum, ne sensim corruat in Germanicis Provinciis, Ortodoxæ Fidei cultus, si Episcopi iis destituantur juribus, authoritate, potentia, ac viribus, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ tutelam, et incrementum, quam quod maxime conferre, non tam Germanici corporis singularis compages, quam plurium sæculorum experientia demonstrat.

Quantum periculi insit Romanæ Ecclesiæ, si Germanicarum oppressio permittatur.

§. 3. Quod si turbo iste, nonnullas semel, ac iterum Episcopales Sedes oppresserit, ingruet aliquando in cæteras, et Christi sponsam, nobili ac varietate circumdatam Dote, ac ornamentis om-

nibus denudabit. Vides ergo, carissime Fili, quanta, et qualis, sit ea causa, quam pietati, prudentiæ, tuique animi magnitudini commendamus, ac probe intelligis, quantam insimul, et meritorum apud Deum, et gloriæ apud Catholicos omnes messem ad colligendum paratam habeas, si dexteram tuam ad eas protegendas extenderis, quarum viduæ sunt aliquæ, et multis ærumnis, gravique hoc metu perculsæ, Nostrisque propterea vocibus, universæque Ecclesiæ in angulari unitatis centro, perfectissima charitate conjunctæ, præsidium, opem et commiserationem tuam deposcunt, atque interea tibi, carissime in Christo Fili Noster, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis die XVII Junii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

Dat. die 5. Julii 1761 Anno III.

## CCXXXII.

Ut Archivium Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, e Monasterio Montis Virginis, in quo asservabatur, ad aliud Monasterium *del Palazzo di Loreto* transferri possit, indulget, Custodemque nominat, cum qualitatibus Notarii Apostolici, eo in munere persistente.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Vetustum Archivium Montis Virginis, et in loco minus tuto positum, ad alium locum transferri pro scripturarum conservatione postulatur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas Generalis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod in Monasterio dictæ Congregationis Montis Virginis Majoris nuncupatæ, vetustissimum Archivium, in quo quamplurima a Regibus Regni Neapolis jam dudum concessa, et a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris pluries confirmata privilegia, necnon documenta, scripturæque authenticæ, non solum ad ipsam Congregationem, verum etiam ad subditos, ratione jurisdictionis temporalis, et spiritualis, quam prædicta Congregatio in nonnullis sibi subjectis locis exercet, aliosque plures spectantia asservantur, quæ licet tam præteriti, quam moderni Abbates Generales, ac Monasterii prædicti Superiores, omnem curam, diligentiam, et solertiam pro illorum custodia, conservatione et manutentione semper, et quandocumque adhibere curaverint, et pergant, attenta illarum vetustate, ac loci madore, quippe quod idem Monasterium in cacumine Montis, spissa nive, majori anni parte contectum remanet, deperdantur, dictus Abbas Generalis ad evitandam integram, omnimodamque scripturarum, documentorumque hujusmodi jacturam, dictum Archivium ad alterum in Monasterium Congregationis prædictæ *il Palazzo di Loreto* nuncupatum, in extrema dicti Montis parte positum, in quo Abbates Generales tamquam Ordinarii nullius, ac Domini temporales, cum Vicario Generali pro tempore existente jurisdictionis prædictæ, aliisque Officialibus vulgo *la Curia* remanere solent, transferendi facultatem per Nos concedi summopere desiderat.

Pontifex facultatem impertitur transferendi archivium ad Monasterium *del Palazzo di Loreto*, Custodemque deputat, quem Notarium Apostolicum nominat munere eodem perdurante.

§. 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ipsum Abbatem Generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem moderno Abbati Generali, ut ipse, quacumque prohibitione, sive per literas Apostolicas in simili forma Brevis expeditas, sive per Constitutiones ejusdem Congregationis, auctoritate Apostolica confirmatas, facta, qua cavetur, ne dictum Archivium a prædicto Monasterio Montis Virginis Majoris amoveri, sive scripturæ, et documenta prædicta ex Archivio hujusmodi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ, extrahi, et asportari possint, non obstante, cui per præsentes hac in parte dumtaxat derogamus, Archivium Monasterii Montis Virginis Majoris hujusmodi, omnesque scripturas, et documenta, librosque in eo de præsenti existentes, a Monasterio prædicto asportare, removere, et extrahere, illudque, et illa in dicto Monasterio *il Palazzo di Loreto* collocare, et reponere, firmis tamen quacumque prohibitione extraendi libros, scripturas, et documenta prædicta, ac pœnis ea super re impositis, libere, et licite possit, et va-

leat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem tribuimus; ac dicto moderno, nec non pro tempore existenti Abbati Generali ipsius Congregationis canonice electo unum, sibi benevisum ipsius Congregationis Monachum, ad id idoneum repertum, qui scripturas, et documenta hujusmodi transcribere, exemplumque sumere, sive pro commoditate, et usu dictæ Congregationis, sive aliarum quarumcumque personarum ad quas pertinere possint, debeat, in Archivistam hujusmodi Archivi, ac durante officio Archivistæ hujusmodi, in Notarium Apostolicum faciendi, et deputandi, et casu, quo dictum Monachum in Archivistam, et Notarium Apostolicum electum a Monasterio prædicto, obtenta obedientia, discedere contingat, alium Monachum sibi benevisum, approbatum, idoneum repertum illius loco subrogandi, et substinendi facultatem, eadem auctoritate impertimur.

Fides habenda scripturis extractis ex Archivio per Custodem eidem præpositum.

§. 3. Ac insuper decernimus, et declaramus, quod quibusvis scripturis ab Archivio prædicto extractis, et per dictum Archivistam sic, ut præfertur, deputatum, durante munere sibi demandato, subscriptis, et sigillo dictæ Congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur in omnibus, et per omnia, perinde ac si scripturæ hujusmodi a publico, et approbato Notario subscriptæ essent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumqne Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Julii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CCXXXIII.

Dat. die 14 Junii 1761 Ann. III.

Moderantur Literæ Benedicti XIV quibus Custodia Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum in Polonia, erigi in novam Provinciam Polonicam permittebatur, novis additis providentiis pro pace, et concordia inter Religiosos viros servanda

Clemens XIII.

Ad futuram rei memoriam

Exordium

§. 1. Suprema Apostolicæ potestatis, providentiæque Nostræ erga omnes Christifideles, atque eos potissimum, qui a fluctibus sæculi erepti ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda a Nobis cura maximopere postulat, atque exigit, ut omnem Pontificiæ benignitatis, auctoritatisque operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, ut dissidiis, dissentionibus, partiumque studiis procul amotis, ac eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter viros, præsertim Religiosos, in pace fiant, et omnia ad Divinum cultum augendum, et regularem disciplinam confirmandam componantur, constabilianturque.

Exponitur erectio novæ Provinciæ Poloniæ a Benedicto XIV. approbatæ.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Antonius de Zdzane, Frater expresse professus, ac primus Custos, seu Custos Generalis Provinciæ Poloniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod alias fel. rec. Benedictus Papa XIV. prædecessor Noster, Custodiam Polonicam ejusdem Ordinis, in novam illius Provinciam Polonam nuncupandam sub nonnullis conditionibus erexit, constituit, et deputavit, per quasdam suas, in simili forma Brevis

expeditas literas tenoris sequentis, videlicet = Benedictus Papa XIV ad futuram rei memoriam. = Quæcumque » ad majorem regularis disciplinæ observantiam, et Religiosorum Ordinum » commodum, et incrementum in Domino conspicimus profutura, eadem » quo salubrius promoveantur, et promota facilius statuantur, ac statuta » perennius persistant, supremas Apostolicæ procurationis Nostræ partes, » grato, libentique animo interponere » non dedignamur. Nuper pro parte » charissimi in Christo Filii Nostri Friderici Augusti Poloniæ Regis illustris, » Nobis expositum fuit, quod dilecti » Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti » Francisci Capuccinorum nuncupatorum Custodiæ Poloniæ, per exemplarem sæculi ædificationem, indefessosque pro animarum salute labores bono publico plurimum prodesse » pergant, ac in majorem Dei gloriam, » dictique Ordinis profectum, et observantiæ regularis incrementum magis, magisque in dies conferret, ac » cederet, si dicta Custodia Poloniæ in » novam ejusdem Ordinis Provinciam, » sub tamen iisdem conditionibus in » Capitulo dictæ Custodiæ Poloniæ, » quæ Provinciæ Bohemiæ Ordinis præfati ab usque anno MDCCXL. adjuncta, et ab ipsa Provincia gubernata » existit, die XI. Septembris proxime » elapsi anni in Conventu Cracoviensi » dicti Ordinis habito, inter dictos prædictæ Custodiæ Fratres ex una, ac » dilectum itidem filium Seraphinum » Capricollensem Fratrem expresse professum, et tunc temporis Ministrum » Provincialem memoratæ Provinciæ, » Bohemiæ, ac ejusdem Custodiæ Commissarium Generalem, nunc Ordinis » præfati Ministrum Generalem ex altera partibus initis, erigeretur. Nobis » propterea ipsius Friderici Augusti nomine fuit humiliter supplicatum, ut » in præmissis opportune providere, et » ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis » ejusdem Friderici Augusti Regis votis » hac in re quantum cum Domino » possumus benigne consulere, ac Fratres dictæ Custodiæ specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, » et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et » pœnis, a jure, vel ab homine » quavis occasione, vel causa latis, » si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam Custodiam Poloniæ Ordinis Fratrum Minorum Sanctis Francisci Capuccinorum nuncupatorum in novam Provinciam deinceps Polonam nuncupandam, in qua » duæ tantum, et non plures, nempe » Polonorum, et Bohemorum nominentur, et vigeant Nationes, et ex dictis duabus Nationibus semper constare possit, et debeat. Sub Natione » Polonorum, omnes in quacumque » Provincia, et Regione eidem Friderico Augusto Regi subjecti nati; sub » Natione Bohemorum, omnes extranei, » seu extra terras Ditionis, et Dominii ipsius Friderici Augusti Regis natis comprehendantur, et comprehendi debeant, sub tamen conditionibus » infra exponendis, auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, constituimus, et deputamus, ac Provinciæ Polonæ hujusmodi, sic ex memorata Custodia per Nos erectæ, non » solum omnes, et singulos Conventus, » qui sub ipsa Custodia Polona de præsenti numerantur, et qui construuntur, verum etiam omnes alios Conventus, qui intra limites Ditionis et » Dominii, dicto Friderico Augusto Regi Poloniæ subjecti, in posterum erigendi, et fundandi erunt, auctoritate et tenore præsentium, assignamus, » et constituimus. Præterea eidem novæ Provinciæ Poloniæ, nec non illius » pro tempore existentibus, Ministro » Provinciali, Definitoribus, Custodibus, » aliisque Superioribus, Fratribus, et » personis, ut omnibus, et singulis » privilegiis, prærogativis, honoribus, » proprio sigillo, aliisque insigniis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ, sub » regimine, gubernio, et administratione tam dicti Seraphini moderni, » quam pro tempore existentis Ministri » Generalis Ordinis præfati existentes, » ac Minister Provincialis, Definitores, » Custodes, aliique Superiores, Fratres, et personæ, ac præsertim ipsa » Provincia Bohemiæ, tam de jure, » usu, et consuetudine, quam alias » quomodolibet utuntur, fruuntur, et » gaudent, ac uti, frui, et gaudere » possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, ac sub eisdem legibus per » Constitutiones dicti Ordinis, auctoritate Apostolica confirmatas præscriptis, » præterquam quoad ea per Nos præ-

» scripta suum sortientur effectum) uti, » frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant respective, auctoritate et tenore prædictis concedimus, » et impertimur. Conditiones vero, quæ » a Fratribus dictæ Custodiæ Poloniæ, » in Provinciam Polonam per Nos vigore præsentium erectæ, servari debent, attento consensu per eos jam » præstito, servandi adjunctionem, unionem, et communicationem cum Provincia Bohemiæ, quatenus nova Provincia Polona cum illius subsidio, » et directione, per aliquot annorum » decursum pervenire valeat ad perfectum complementum, sunt sequentes, videlicet = Primo = Ut in primo, » secundo, et tertio subsequentibus, de » triennio in triennium celebrandis Capitulis Provincialibus dictæ novæ Provinciæ Poloniæ, semper eligatur in » Ministrum Provincialem unus ex professoribus Provinciæ Bohemiæ, ex numero Guardianorum Bohemiæ Provinciæ in Polonia pro tempore existentium, vel etiam alius Alumnus dictæ Provinciæ Bohemiæ intra illius » limites existens, omnibus qualitatibus, » per dictas Constitutiones præscriptis, » præditus, exceptis tamen illis, qui » de præsenti munus Definitoris Provincialis in ipsa Provincia Bohemiæ explere pergunt.=Secundo.=Quod in eisdem tribus primis Capitulis Provincialibus dictæ novæ Provinciæ Poloniæ, Alumni Provinciæ Bohemiæ habeant jus pro duobus Definitoribus, » quatenus in Capitulo Poloniæ de gremio, et Provincia eligi deberent, nisi postea aliter disponerent, et cederent, et quatenus Alumni Provinciæ Bohemiæ, in Capitulo Provinciæ » Poloniæ sint certo eligibiles pro tempore adjunctionis, et communicationis utriusque Provinciæ, cedant Patres novæ Provinciæ Poloniæ, dictis » Alumnis Provinciæ Bohemiæ tres Guardianatus Conventuum, Varsaviensis, » Cracoviensis, et Rozvvadoviensis, et » si intra dictum tempus communicationis Provinciarum hujusmodi perficiantur Conventus Ryvaldensis, vel » Rosiampolensis, aut uterque, etiam » in illis possint esse Guardiani de Provincia Bohemiæ per tempus communicationis; quando vero pro futuro » Capitulo Generali dicti Ordinis, quod » juxta regularia ejus instituta anno » MDCCLXI. benedicente Domino celebrandum erit, eligentur in Capitulo Provinciali novæ Provinciæ Poloniæ anno MDCCLIX. habendo Custodes, ac tunc eligendus erit, unus de » natis, et unus de nonnatis Fratribus » Provinciæ Poloniæ, Custos ad Capitulum generale hujusmodi, et quispiam, » licet in Capitulo Provinciali vocem » activam minime habeat, in Custodem eligi possit.=Tertio.=Quod singulis trienniis in dicta nova Provincia » Poloniæ Capitulum Provinciale in mense Julio, vel Augusto, et quolibet anno, de duobus annis intermediis, supradictis mensibus Congregatio Definitorii omnino celebretur, et celebrari debeat, ut cum dicta Provincia Bohemiæ ordinate communicare queat. In his Capitulis, et Congregationibus, Minister Provincialis » Provinciæ Bohemiæ prædictae pro » tempore existens, in scriptis præsentare, seu nominare debebit professores suæ Provinciæ, ad explendum » munus Guardiani habiles, et capaces » pro Guardianatibus sæpedictæ novæ » Provinciæ Poloniæ, assignatis memoratæ Provinciæ Bohemiæ, si aliqui, » vel aliquis, sive propter revocationem » ad propriam Provinciam (quæ Ministro Provinciali Provinciæ Bohemiæ » pro tempore existenti libera, et integra manebit), sive ob absolutos » Constitutionum annos, sive ob aliam » causam judicio utriusque Provinciæ » Ministri Provincialis cognoscendam, » et approbandam, Guardianatus de supra expressis vacaret; quod si etiam » per decursum anni, et dum adhuc » sex menses superessent ad futurum » Capitulum Provinciale, vel Congregationem, Guardianus Provinciæ Bohemiæ prædictæ, diem clauserit extremum, vel prorsus aliqua de causa, » vel ratione haud habilis fieret, vel » ad propriam Provinciam revocandus » fuerit, liceat Ministro Provinciali Bohemiæ cum Definitorio Provinciali modo sibi opportuno alium dictæ Provinciæ Bohemiæ Alumnum substituere Guardianum, et cum patentibus » suis literis ad locum vacantem mittere. = Quarto.= Cum ad propagandam » in Regno Poloniæ Religionem, seu » Ordinem præfatum, ad habitum dicti Ordinis admissi reperiuntur, hucusque non nati in Regno Poloniæ, ac » etiam ad Professionem per Fratres » ipsius Ordinis emitti consuetam, et » ad Ordines promoti ob defectum natorum in dicto Regno, et adhuc alii » deinceps admittendi erunt; inter vero jam admissos, quamvis adhuc juvenes, egregii, et ad explenda, exercendaque officia idonei viri existant,

» justum æquumque est, ut quemadmodum non nati in dicto Poloniæ Regno ad laboriosa dictæ novæ Provinciæ Poloniæ officia concurrunt, ita tamquam originarii, et in ipso Regno nati, dignitates et officia dictæ novæ Provinciæ consequantur, ut tam exteri, seu extra Regnum Poloniæ orti, jam ad habitum hujusmodi admissi, quam alii in posterum admittendi, si tamen habiles et capaces reperti fuerint, debitisque qualitatibus per Constitutiones prædictas præscriptis præditi, ad officia et munia dictæ novæ Provinciæ Poloniæ, tamquam illius nati admitti possint, ac debeant, quatenus ad normam Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis, inter duas Nationes Polonorum, et Bohemorum, prima præsertim officia Provinciæ sic ex æquo dividantur, ut ex qualibet Natione assumatur unus Custos, et duo Definitores, Minister Provincialis autem de una, et altera alternative eligatur=Quinto=Ut antequam quartum Capitulum Provinciale memoratæ Provinciæ Poloniæ habeatur, et totalis separatio dictæ novæ Provinciæ Poloniæ ab ipsa Provincia Bohemiæ fiat, Commissarius generalis e Provincia Bohemiæ eligendus, nominandusque, tribus diebus ante diem electionis accedat ad locum celebrationis Capituli Provincialis, et diligenter agat, et accurate se se gerat, ut omnia in dicta Provincia Poloniæ inter natos in ipso Regno, et nonnatos, seu exteros, in pace fiant, ac regimen, gubernium, et administratio dictæ novæ Provinciæ inter eos remaneat, ut Superiores electi, partium studiis procul amotis, pacem, et concordiam in dicta nova Provincia stabilire, et confovere, ac Dei gloriam, et Religiosam observantiam promovere curent, et satagant=Sexto=Quod uterque Minister Provincialis pro tempore existens, illam inter se communicationem servare non prætermittant, ita ut si tractu temporis Minister Provincialis novæ Provinciæ Poloniæ, quibusdam Alumnis Provinciæ Bohemiæ, ad exercenda explendaque munia, seu officia suæ Provinciæ indigeat, illos expetat, et dictus Minister Provincialis, quantum poterit transmittat, Minister vero Provincialis Provinciæ Poloniæ nullum talem remittat, sed si quis remittendus foret, per Ministrum Provincialem Bohemiæ revocetur, submittet Minister Provincialis Bohemiæ requisitos ad Provinciam Poloniæ candidatos pro Novitiatu, et tales ac sponte ad ipsam Poloniæ Provinciam venientes idoneos repertos, cum candidatis natis Polonis pariter idoneis, illum Minister Provincialis suscipere teneatur = Septimo=Ut Cathedra Germanica apud S.Benonem Varsaviæ, ad quam Professores Provinciæ Bohemiæ ante omnia subsidia alia, ab inclyta Confraternitate extraneorum, seu Germanorum expetiti fuerunt, et pro ea administranda, regendaque fuit missus dilectus etiam filius Liborius Grassivensis, et deinde Commissarius Generalis, fundationis dictæ Custodiæ Poloniæ in Provinciam, ut præfertur, a novis erectæ factus, donec communicatio utriusque Provinciæ prædictæ duraverit, Alumnis Concionatoribus Germanis de Provincia Bohemiæ, quoad totam administrationem reservata intelligatur =Octavo= Ut nullus Commissarius ex Provincia Bohemiæ ad Congregationes intermedias Provinciæ Poloniæ interea temporis, tribus primis dictis Capitulis Provincialibus durantibus peragendas accedere debeat, sed tamen unus de gremio actualis Definitorii dictæ Provinciæ Bohemiæ, accedat ad Capitula triennalia Provincialia proxime habenda, ac etiam ad quartum, in quo (nisi aliud, ad quos eo tempore spectabit, melius expediens visum fuesit) talis separatio facienda erit = Nono = Ut Commissarius generalis a Definitoribus Provinciæ Bohemiæ electus, et missus ad Provinciam Poloniæ, eo modo et auctoritate præsidere debeat, tam Capitulo Provinciali, quam Definitorio, uti usque nunc, et quamdiu Custodia Poloniæ existit, præsederat, præsidere valeat; et si aliquis defectus minus substantialis in illis irrepserit, qui bono Ordinis præfati instituto adversari agnoscat, supplere possit, et suppleat, dictusque Commissarius, si aliquem in Ministrum Provincialem dictæ Provinciæ Poloniæ, qui a loco Capituli Provincialis absens fuerit, eligere contingat, pro tempore Capituli omnia munia, et jura absentis Provincialis administret. =Decimo= Ut quando Minister Provincialis Provinciæ Poloniæ ad Capitulum generale dicti Ordinis Romam discessurus sit, quamdiu utriusque Provinciæ duret communicatio, in Vicarium Provincialem suæ Provinciæ substituat unum ex Definitoribus Provincialibus Provinciæ Bohemiæ, si

» vero in Domino judicaverit, ipsum
» Definitorem minime sufficientem es-
» se, cum Ministro Provinciali dictæ
» Provinciæ Bohemiæ correspondeat, ut
» unum alium expertum Professorem
» ejusdem Provinciæ Bohemiæ mittat,
» et sic electus, et missus, officium Vi-
» carii Provincialis memoratæ novæ Pro-
» vinciæ Poloniæ explere, ex exercere
» valeat =Undecimo= Ut Minister Pro-
» vincialis Provinciæ Bohemiæ, nomine
» suo, et totius Provinciæ, omni juri
» per decretum a toto Definitorio ge-
» nerali ipsius Ordinis anno MDCCXL.
» existente editum sibi attributo, a die
» decreationis et erectionis dictæ Cu-
» stodiæ Poloniæ in Provinciam, re-
» mittat, ita ut ipsa nova Provincia Po-
» loniæ subjecta remaneat eidem Sera-
» phino moderno, et pro tempore exi-
» stenti ejusdem Ordinis Ministro Ge-
» nerali =Decimo secundo= Attento quod
» Provincia Bohemiæ suam operam,
» sumque obsequium subsidiumque me-
» morato Ordini, ac parvæ Custodiæ
» Poloniæ præstitit, ac præstare non de-
» sinit, illamque ad statum spectabilis
» Provinciæ produxerit, in signum gra-
» tificationis, quam ipsa Provincia Po-
» loniæ erga Provinciam Bohemiæ habe-
» re pergit, ut a tempore totalis sepa-
» rationis utriusque Provinciæ hujusmo-
» di, si forte aliquando ad petitionem
» et querelam quorumcumque dictæ Pro-
» vinciæ Poloniæ Superiorum, et Fra-
» trum, seu quacumque alia de causa,
» Ministro Generali Ordinis dicti pro
» tempore existenti, nota, Commissarius
» generalis supranumerarius ad compo-
» nendas quascumque inter dictos Fra-
» tres ortas dissentiones, intra triginta
» annorum spatium mittendus sit, eo
» in casu unus ex Professoribus Provin-
» ciæ Bohemiæ eligatur, et ad ipsam
» Provinciam Poloniæ tamquam Com-
» missarius extraordinarius mittatur=De-
» cimo tertio= Ut dictus Seraphinus mo-
» dernus Minister Generalis, ac Defini-
» torium generale sæpedicti Ordinis,
» omnes Superiores dictæ Custodiæ in
» Provinciam erectæ, majores nempe
» Custodem et Consultores, qui in nu-
» pero dictæ Custodiæ Capitulo electi,
» constituti, et confirmati fuerunt, ab-
» sque ulteriori alia electione in Supe-
» riores confirmare, nempe Custodem
» in Ministrum Provincialem, et Con-
» sultores in illo Ordine, quo nunc
» sunt, Definitores instituti in suis re-
» spective demandatis officiis remanere,
» et regimen dictæ novæ Provinciæ us-
» que ad complementum triennii com-
» putandi a celebratione Capituli dictæ
» Custodiæ, nempe usque ad mensem
» Augusti MDCCLVI. quo tempore pri-
» mum Capitulum Provinciale dictæ
» novæ Provinciæ Poloniæ celebrandum
» erit, gerere et absolvere respective
» valeant =Demum= ut Præsidentes, seu
» Superiores Hospitiorum antedictæ Cu-
» stodiæ Poloniæ, in Provincia, vigo-
» re præsentium, erectæ, quæ uti Guar-
» diani habentur in Capitulis Provincia-
» libus dictæ novæ Provinciæ in po-
» sterum celebrandis, vocem activam
» et passivam ferre, et habere possint.
» Decernentes easdem præsentes literas
» semper firmas, validas, et efficaces
» existere, et fore, suosque plenarios
» et integros effectus sortiri et obtinere,
» ac illis, ad quos spectat, et pro tem-
» pore quandocunque spectabit, plenis-
» sime suffragari, et ab illis inviolabi-
» liter observari; sicque in præmissis
» per quoscumque Judices Ordinarios
» et delegatos, etiam causarum Palatii
» Apostolici Auditores, ac Sedis Apo-
» stolicæ Nuncios, sublata eis, et eo-
» rum cuilibet quavis aliter judicandi
» et interpretandi facultate, et auctori-
» tate, judicari et definiri debere, ac
» irritum, et inane, si secus super his,
» a quoquam, quavis auctoritate, scien-
» ter, vel ignoranter contigerit attenta-
» ri. Non obstantibus Constitutionibus
» et Ordinationis, etiam juramento, con-
» firmatione Apostolica, vel quavis alia
» firmitate roboratis statutis, et consue-
» tudinibus, cæterisque contrariis qui-
» buscumque. Volumus autem, quod
» præsentium literarum transumptis,
» seu exemplis etiam impressis, manu
» alicujus Notarii publici subscriptis,
» et sigillo personæ in Ecclesiastica Di-
» gnitate constitutæ munitis, eadem
» prorsus fides tam in judicio, quam
» extra illud adhibeatur, quæ ipsis præ-
» sentibus adhiberetur, si forent exhi-
» tæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud
» Sanctam Mariam Majorem sub Annulo
» Piscatoris die v. Octobris MDCCLIV.
» Pontificatus Nostri Anno XV.

☞ Præcedentes Literæ Benedicti XIV. moderari ad normam Constitutionum Ordinis postulatur.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Antoninus nomine dictæ Provinciæ Poloniæ assereret, conditiones in præinsertis literis appositas, contentas, expressas, eidem Provinciæ, illiusque Professoribus detrimentosas esse, ac propterea attento consensu a dilectis itidem filiis modernis Ministris Provincialibus utriusque Provinciæ Bohemiæ, et Poloniæ præstito, conditiones supradictas, ne perturbationes, inordinationesque, ac dis-

sidia inter utriusque Provinciæ prædictæ Alumnos oriantur, per Nos moderari, aliasque ad bonum regimen, et administrationem, ac pacem et concordiam in eisdem Provinciis confovendam stabiliemdamque tendentes, juxta regula et Constitutiones ipsius Ordinis, ac usum, et consuetudinem aliarum Provinciarum, a dilectis quoque filiis modernis Ministro Generali ipsius Ordinis, ac Definitoribus generalibus conditas assignari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Erectio Provinciæ Poloniæ a Benedicto XIV. approbata confirmatur sub iis honoribus, quibus aliæ Ordinis Provinciæ pollent.

§. 4. Nos igitur ipsum Antoninum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem dictæ Custodiæ Poloniæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, in novam Provinciam Polonam nuncupatam a memorato Benedicto prædecessore per præinsertas literas, sicut præmittitur, factas, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac eidem novæ Provinciæ Polonæ omnes et singulos Conventus, qui in toto Regno Poloniæ, ac Ditionibus et Provinciis eidem Regno annexis, quocumque nomine nuncupatis, jam erecti reperiuntur, et qui inibi erigendi erunt, auctoritate, et tenore præfatis assignamus, et constituimus, ipsique novæ Provinciæ Polonæ per eumdem Benedictum prædecessorem erectæ, et per præsentes nostras literas confirmatæ, ac illius pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, Definitoribus, Custodibus, aliisque Superioribus, Fratribus, et Personis, ut omnibus et singulis privilegiis, prærogativis, honoribus, antelationibus, gratiis, proprio Sigillo, aliisque insigniis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ sub regimine, gubernio, et administratione tam moderni, quam pro tempore existentium Ministrorum Generalium ejusdem Ordinis, ac cæteri Ministri Provinciales, Definitores, Custodes, Superiores, et Fratres, ac Personæ aliarum Provinciarum Ordinis hujusmodi, tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt ac poterunt, quomodolibet in futurum pari modo, et absque ulla prorsus differentia, uti, frui, et gaudere, libere et licite possint, et valeant respective, servatis tamen eisdem legibus, per Constitutiones Ordinis ipsius, auctoritate Apostolica confirmatas, auctoritate et onore prædictis concedimus, et impertimur.

Conditiones appositæ in literis Benedicti XIV. cassantur, et irritantur nonnullæque aliæ apponuntur observandæ a Provinciis Poloniæ et Bohemiæ

§. 5. Conditiones vero omnes in præinsertis ipsius Benedicti prædecessoris literis contentas, expressas, volitas, et hucusque forsan observatas, auctoritate et tenore prædictis cassamus, annullamus et irritamus, ac cassas, irritas, et inanes, ac nullius roboris, et momenti fore et esse decernimus, ac in locum dictarum conditionum, per Nos ut præfertur cassatarum, annullatarum, irritarum, ac inanium, ac nullius roboris et momenti declaratarum, novas conditiones inter Provincias Poloniæ et Bohemiæ deinceps observandas, auctoritate et tenore præfatis proponimus, statuimus, ac observari debere præcipimus, volumus, et mandamus, nempe =Primo= Quod in Capitulo post conclusum præsentis Provincialis triennium, et semper deinceps electio Provincialis sit libera, nulla consideratione facta ad Nationalitates, sed ille præeligatur, qui secundum conscientiam Capitularium dignior et congruentior visus fuerit =Secundo= Quod ex quatuor Definitoribus eligendis duo sint ex Nationalibus, et alii duo de exteris seu non natis, professis tamen, seu incorporatis in illa Provincia, et pariter ex duobus Custodibus unus ex illis, et alter ex ipsis esse debeat =Tertio= Quod Guardianatus, et Vicariatus pro æquali numero, inter illos nempe, natos, et non natos (quorum nomine compræhenduntur omnes) qui in qualibet Provincia extra Regnum Poloniæ nati sint, distribuantur. Si vero propter imparem numerum contingat, omnimodam æqualitatem fieri non posse, minor numerus sit ex illa parte natorum, seu non natorum, ex qua fuerit actualis Provincialis=Quarto= Quod Pulpita, seu Cathedræ Prædicationis conferantur a Definitorio Provinciali indiscriminatim, nullo habito respectu ad Nationes, sed juxta circumstantias, et qualitates Prædicatorum: Lecturæ vero tam Philosophiæ, quam Theologiæ inter natos, et non natos, pari numero conferantur =Quinto= Quod

quando visum fuerit Ministro Generali Commissarium deputare pro Provincia Poloniæ, vel illum mittere, non præcise futurus sit de Provincia Bohemiæ, sed liberum sit ei, vel Polonum deputare, vel alium ex qualibet Provincia mittere, prout melius in Domino sibi visum fuerit =Denique,= quod supradicta æqualis distributio Definitoratuum, Vicariatuum, et Lecturarum, fixa et immutabilis sit usque ad annum 1769., quo juxta ordinariam providentiam celebrandum erit Capitulum Generale, in quo considerato statu Provinciæ, et numero, qui tunc temporis erit natorum, et non natorum, cæterisque circumstantiis, præviderí poterit, circa continuationem, vel terminationem illius; modo enim cum nati, et non nati fere sint æquali numero, et probabiliter ita futuri sint per illud temporis intermedium saltem illi qui ad præfata officia eligi debeant, prudentissima videtur pro toto illo tempore memorata distributio, et insuper necessaria pro mutua securitate justitiæ distributivæ, pace, et concordia iter utramque partem.

Clausula sublata, decretum irritans, et contrariorum derogatio.

§. 6. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, et validas, ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quæ idem Benedictus prædecessor in memoratis suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIV. Julii MDCCLXI. Pontificatus Nostri anno Tertio.

## CCXXXIV.

Dat. die 15 Julii 1761. Ann. III.

Confirmatio Statutorum quibus posthac regi debet corpus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum in singulis Provinciis.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

§. 1. In supremo militantis Ecclesiæ solio, per ineffabilem Divinæ clementiæ abbundantiam constituti, ea, quæ pro salubri Religiosorum Virorum sub suavi Christi jugo, arctiorisque disciplinæ instituto, vota sua Deo reddere, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentium directione, provide constituta, atque ordinata esse dicuntur, ut firma, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis Nostri, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus.

Preces porrectæ pro confirmatione statutorum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Joannes Lutre Custos Provinciæ S. Gabrielis, et Vice-Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, ad petitionem ab unione, seu congerie Provinciarum ipsorum Fratrum Discalceatorum, in Regnis Hispaniarum, Lusitaniæ, et Neapolis existentium, in Capitulo Generali dicti Ordinis, Murciæ Carthaginensis Diœcesis anno MDCCLVI. celebrato emissam, a Diffinitorio ejusdem Capituli comissum extiterit dilecto filio Petro Joannetto de Molina, præfati Ordinis tunc ex-Ministro Generali, et Comissario Generali Familiæ Ultramontanæ, ut pro condendis, compilandisque statutis, quibus præfata Provinciarum congeries, in posterum regi, et gubernari deberet, ex ipsis Fratribus, aliquot in Compromissarios, aliorum nomine eligeret, ac deputaret, qui hujusmodi Statuta conderent, et compilarent, Compromissarii vero, sicut præmittitur ad eodem Petro Joannettio electi, et deputati, munus eis demandatum adimpleverint, compilationemque hujusmodi Statutorum, approbante dicto Petro Joannettio jam ediderint, ipse vero Joannes, illa quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Statuta jussu Capituli Generalis condita,

§. 3. Nos ipsius Joannis votis hac in re, quantum cum Domino possu-

Apostolica auctoritate confirmantur, et approbantur.

mus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque canonicis censuris, et pœnis, si quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta præfata, sic ut præfertur condita, dumodo tamen sint in usu, ac licita, et honesta, et a Comissario Generali dicti Ordinis approbata, sacris canonibus, vel Concilii Tridentini decretis, vel Constitutionibus Apostolicis, et dicti Ordinis non adversentur, nec monopoliis ansam præbeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, decretum irritans, et contrariorum derogatio

§. 4. Decernentes, easdem præsentes Literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrariis facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xv. Julii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

---

*Quum hæc Pontificia Constitutio postrema sit hujus terti anni Pontificatus S. M. Clementis XIII. quoad materias Ecclesiasticas, gradum facimus ad alias, quæ temporalem prælaudati Pontificis potestatem respiciunt hoc eodem tertio anno, eamdem sequentes methodum quam in primo Tomo hujus Continuationis adhibuimus.*

## CCXXXV.

Dat. die 21 Julii 1760. Ann. III.

Montem Secundum Annonæ in Civitate Bononiæ prius, a Clemente VIII. erectum, deinde vero ab Urbano VIII. reformatum, iterum erigitur, et reformatur, prævia confirmatione Constitutionis Urbani VIII, eique Monti nomen tribuitur *Montis secundi Annonæ secundo reformati*, peculiaribus additis statutis super impositione, ac solutione Datiorum, et Gabellarum pro dote ejusdem Montis.

Montem Annonæ *in Civitate*, *et Comitatu Bononiensi pro summa scutorum tercentum Mille*, *additis peculiaribus statutis erexit*, *et approbavit Clemens VIII. Constit. edit. Anno* 1592. *Maii* 11, *quæ est in Bullario Mainardii. Aliam*, *quoad præfatum Montem Annonæ pro Civitate Bononiæ constitutionem edixit prælaudatus Clemens VIII. Anno* 1593 *Junii* 23, *quæ in dicto Bullario Mainardii omissa fuit.* Montem secundum *Annonæ Bononiæ erexit Pontifex idem pro summa scutorum centum viginti quinque millium*, *illumque vendidit favore Marchionis Josephi Justiniano Nobilis Januensis*, *qui ideo*, *et* Mons Justinianus *dictus fuit*, *ut ex Const. Anni* 1593 *Octobris* 9. *quæ pariter in Bullario Mainardii omissa fuit. Extinctis quampluribus ex præcedentibus locis*, *ex* Monte secundo Annonæ, *illum iterum erexit*, *sub nomine* Montis secundi Annonæ Bononiensis Reformati *Urbanus VIII. Const. Anni* 1628. *Sept.* 25, *quæ in præsenti inserta habetur.*

Clemens Papa XIII.

Ad Futuram rei memoriam.

Exordium

§. 1. Ecciesiæ Catholicæ regimini meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris ad commodum, utilitatemquæ ac incrementum Communitatum, Universitatumque, et hominum Status, et Ditionis Nostræ Ecclesiasticæ Subditorum provide emanasse noscuntur, ut firma semper, sarta, et tecta persistant Apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, patrocinio, libenter constabilimus.

Refertur constitutio Urbani VIII. qua mons

§. 2 Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Syndici, et Assum-

secundus Annonæ Bononiæ erectus fuit.

pti Administratores della Gabella Grossa nuncupatæ Civitatis nostræ Bononiensis, quod alias fel: rec: Urbanus PP. VIII. prædecessor Noster, ut indigentiis Communitatis, et hominum Civitatis præfatæ tunc suæ consuleret, per suas in simili forma Brevis expeditas literas, Montem Secundum Annonæ nuncupandum, sub certis modo, forma, et conditionibus, ac oneribus tunc expressis, erexit, et instituit, tenoris sequentis videlicet » Urbanus PP. VIII. ad futu» ram rei memoriam. Alias fel: rec: » Clemens PP. VIII. prædecessor Noster » ad sublevandas aliqua ratione gravis» simas necessitates, quibus Civitas » Nostra tunc sua Bononiensis oppri» mebatur, unum Montem Annonæ » Bononiensis nuncupandum pro sum» ma scutorum sex, vel sex cum di» midio pro quolibet loco, super certis » redditibus Datiorum, et Gabellarum, » per eumdem Clementem predecesso» rem confirmatorum, sive etiam de » novo impositorum, sive auctorum, » cum decreto quod ad illarum solu» tionum tam Laici, quam Ecclesia» stici tenerentur, erexit, et instituit, » prout in suis Literis in forma Brevis » sub Dat. xi. Maji MDLXXXXII., et » xxiii. Junii MDLXXXXIII. plenius » continetur. Deinde vero cum, Mons » prædictus pro integra summa Scu» torum trecentorum millium vendi » non potuisset, sed tantummodo pro » summa centum millium venditus fuis» set, idem Clemens prædecessor, Mon» tis prædicti partem non venditam, » ac nonnullas ex dictis Gabellis, im» positionibus, seu augmentis extinxit, » et alium Montem Secundum Anno» næ, sive Justinianum nuncupatum, » locorum mille ducentorum quinqua» ginta pro summa Scutorum centum » viginti quinque millium auri in auro, » super redditibus, et emolumentis Ga» bellæ Grossæ nuncupatæ ejusdem Ci» vitatis, aliorumque Datiorum, et Ga» bellarum eidem Gabellæ Grossæ » adjunctorum per eumdem Clemen» tem prædecessorem auctorum, impo» sitorum, et sive confirmatorum, pro» pagatorum, seu extensorum, cum eo» dem decreto, quod quicumque tam » Laici, quam Ecclesiastici, et quan» tumlibet exempti ad illorum so» lutionem tenerentur, et alias sub cer» tis modo, et forma, tunc expressis » erexit, eidemque Monti Secundo ere» cto pro ejus fructibus, et congrua » dote ad rationem Scutorum sex auri » cum dimidio pro quolibet centena» rio seu loco, annuatim summam Scu» torum octo millium centum viginti » quinque similium, super omnibus, » et quibuscumque redditibus, emolu» mentis, et obventionibus præfatæ » Gabellæ Grossæ, per illius conducto» res, exactores, et Ministros, de bi» mestri in bimestræ pro rata solven» dam, assignavit, applicavit, et ap» propriavit, omniaque dicti Montis » Secundi loca, quondam Josepho Justi» niano Nobili Januensi, pretio centum » viginti quinque millium scutorum » auri in auro, cum clausulis, pactis, » obligationibus, et cautelis in Instru» mento desuper celebrato expressis, ven» dita fuerunt, et venditio hujusmodi » ab eodem Clemente prædecessore ap» probata, et confirmata fuit, prout in » aliis dicti Clementis prædecessoris li» teris, in simili forma Brevis, sub Dat. ix » Octob. MDLXXXXIII. desuper expe» ditis, quarum omnium, et singularum » tenores præsentibus pro sufficienter ex» pressis haberi volumus plenius con» tinetur. Cum autem, sicut eadem ex» positio subjungebat, successive de » Anno MDCVII. ipsius Secundi Mon» tis Annonæ loca ducenta terdecim » affrancata essent, fel: rec. Paulus » PP. V. etiam prædecessor Noster, per » eum accepto, quod Civitas Bononiensis » tunc temporis in maxima rei frumen» tariæ difficultate constituta erat, nec » illi, ob promptæ pecuniæ defectum, » de necessario frumento provideri po» terat, per ejus in forma motus pro» prii cedulam desuper expeditam, ac » in Camera Apostolica per acta Hie» ronymi Scanardi, tunc ejusdem Ca» meræ Notarii registratam, vice, et » loco aliorum ducentorum tredecim » locorum ipsius Montis jam extincto» rum, alia ducenta terdecim loca si» milia Montis hujusmodi erexerit, ea» que dicto Monti adjunxerit, et abin» de citra loca ejusdem Montis hacte» nus diversis temporibus affrancata, » et extincta sint, itaut ad præsens » quadrigenta sexaginta loca hujusmodi » in totum dumtaxat, ultra eorum fru» ctus, qui ad rationem sex cum di» midio scutorum auri in auro pro » quolibet loco persolvuntur, adhuc af» francanda, sive extinguenda rema» neant; prædicta vero Civitas non mo» do pro affrancandis locis hujusmodi, » verum etiam pro publicis Sedis Apo» stolicæ necessitatibus, ob præsentes » bellorum motus mature subvenien» dum, non mediocri pecuniarum sum» ma indigeat; Nos pro Pastoralis Of-

» ficii debito, necessitatibus, aliisque » præmissis quantum cum Domino » possumus providere volentes, motu » proprio, et ex certa scientia, ac matura » deliberationie, Nostris, deque Apostolicæ » cæ potestatis plenitudine, Montem » Secundum Annonæ Bononiensis reformatum nuncupandum non vocabilem » pro summa septingentarum, decem, » et novem millium, et ducentarum » librarum dictæ Monetæ Bononiensis » portiones, seu loca mille septingenta » nonaginta octo scutorum centum monetæ præfatæ pro quolibet loco, ac » libris quatuor ejusdem monetæ pro » quolibet scuto, computatis continentibus, qui quidem Mons redimibilis » sit, ita tamen ut illius redemtio, » aut extinctio non incipiat nisi elapsis » sex annis a die x. mensis Octobris » proxime futuri computandis, cum annuo redditu scutorum quinque similium pro quolibet loco, de bimestri » in bimestre in fine pro rata solvendo ab eadem die decima Octobris proxime futuri incipiendum, ad effectum » affrancationis, et extinctionis, ac subventionis prædictarum respective, tenore præsentium facimus, erigimus, » creamus, et instituimus, illique sic » erecto, et instituto pro ejus fructibus » et congrua dote ad rationem prædictam scutorum quinque pro quolibet » loco, et omnibus, et quibuscumque » tam Gabellæ Grossæ ejusdem Civitatis, quam aliis redditibus, et emolumentis, ac obventionibus, et membris eidem Gabellæ Grossæ concessis » adjunctis, et in prioribus Montium » erectionibus expressis, ac per Nos, » ut infra prorogatis, duranteque Monte hujusmodi, extensis ad annuam summam librarum ejusdem monetæ quadringentarum millium in circa ascendentibus, redditum annuum triginta » quinque millium nonagintarum, et » sexaginta librarum ejusdem Monetæ » Bononiensis, per conductores, Ministros, » seu exactores Gabellæ, ac redditúum, » aliorumque præmissorum annis singulis, de bimestri in bimestre pro rata, ejusdem Montis Depositario, seu » personæ cui ordinatum fuerit, ut infra solvendam, et numerandam applicamus, appropriamus, et assignamus, et propterea eamdem summam » ab omnibus, et singulis dictæ Gabellæ Grossæ, aliisque prædictis redditibus, et introitibus, dismembramus, dividimus, et separamus, divisamque, dismembratam, et separatam, ac respective applicatam, appropriatam, et assignatam esse volumus, et mandamus, dictamque » summam ab omni prorsus onere, » impositione, gravamine, et restauro » etiam quocumque casu, etiam fortuito, et quantumcumque inexcogitabili, et evenire insolito eximimus, » et liberamus, ac liberam, immunem, et exemtam esse decernimus, » dictumque Montem, ac illius futuros creditores in omne jus, locum, » et actionem ipsius Civitatis, et Cameræ Bononiensis, quoad emolumenta » ac redditus prædictos, pro dicta summa, ac illius exactione, et consequutione in omnibus, et per omnia ponimus, substituimus, et subrogamus. » Volumus autem quod quæcumque » utriusque sexus personæ, cujuscumque » dignitatis, status, gradus, et conditionis existentes, quæ in Monte » hujusmodi, quamcumque pecuniarum » summam non tamen infra scuta centum similia, usque ad dictam summam librarum septingentarum decem, et novem millium ac ducentarum Monetæ prædictæ Bononiensis erogare, et ponere voluerint, pro pecuniis sic positis, fructus ad rationem » quinque pro quolibet loco annis singulis, et quolibet bimestri eorum ratam, licite, et libere, sine aliquo conscientiæ scrupulo, seu restitutionis, » aut satisfactionis onere, percipere, et » habere, nec loca ipsa aliquo modo, aut ex quolibet delicto quantumcumque gravi, et enormi, præterquam » lesæ majestatis in personam Romani » Pontificis, aut alicujus ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vel hæresis, confiscari, et publicari valeant, » sed ad eorum hæredes, et successores transeant, et de illis ad eorum » libitum in testamento, vel codicillis, aut quocumque contractu inter vivos, in quoscumque etiam illegittimos, et alios, ac in omnibus, et per » omnia juxta facultates, et privilegia » aliis similibus Montibus, et præsertim augumenti vini dictæ Civitatis per » fel. rec. Paulum IV., et alios Romanos Pontifices concessa, disponere valeant, quodque personæ super dicto » Monte suas pecunias, ut præfertur, » ponentes, Collegium inter se constituere, et Collegialia jura, et insignia » habere, exercere, statutaque, et ordinationes ad instar aliorum Montium » concedere, illaque mutare, et alterare, ac Notarium, et Camplonerium, » nec non alios, et quoscumque Officiales deputare, et ad eorum libitum

» amovere, omnibusque aliis juribus, » et immunitatibus, privilegiis, et exem- » tionibus, quibus Montes Fidei, Alu- » meriarum, Pacis, et alii Montes non » vacabiles Urbis utuntur, fruuntur, et » potiuntur, pariformiter uti, frui, et » potiri libere, et licite valeant, et pro » Montis hujusmodi, illiusque Colle- » gii, et personarum cautela, et secu- » ritate ultra redditus prædictos omnia, » et singula alia Cameræ, et Civitatis » prædictarum bona mobilia, et im- » mobilia ubicumque posita, et existen- » tia, et jam si talia sint, quæ in ob- » bligatione generali non comprænhen- » dantur, perpetuo specialiter, et expres- » se, ac in solidum obligamus, et hy- » pothecamus, ac obligata hypotheca- » ta esse volumus, et mandamus; ita ut, » deficientibus ex quacumque causa su- » pradictis emolumentis dicto Monti, » ut præmittitur assignatis, Mons præ- » dictus super omnibus aliis bonis, et » redditibus ejusdem Civitatis, et Ca- » meræ Bononiensis intelligatur, et sit » erectus, impositus, et constitutus cum » omnibus supradictis, et infrascriptis » juribus privilegiis, pactis, et condi- » tionibus. Decernentes insuper, Mon- » tem, ac Collegium, et personas hu- » jusmodi, eorumque assignamenta, et » jura quæcumque, per Nos eis per præ- » sentes data, concessa, et assignata, » etiam per Nos, et dictam Sedem, » autSuccessores nostros Romanos Ponti- » fices pro tempore existentes, quoad » eamdem summam librarum triginta » quinque millium noningentarum, et » sexaginta, alio unquam gravamine, seu » ordinario, vel extaordinario onere » affici, aut ratione cujuscumque pe- » cuniarum summæ, etiam pro subven- » tione onerum Romanæ Ecclesiæ, aut » Nobis incumbentium, seu ex qua- » cumque alia etiam urgentissima, et » efficacissima causa pro tempore impo- » sito, minui, aut ex eis aliquam par- » tem auferri, vel retineri nullatenus » posse, vel debere; ac Collegium, » et illius personas ad probandum quod » pecuniæ in dicto Monte positæ, vel » aliqua eorum pars in extinctionem, » et ad sublevandas necessitates prædi- » ctas, et seu in utilitatem Romanæ » Ecclesiæ, vel Civitatis, et Cameræ » Bononiensis prædictarum fuerint ver- » sæ, minime teneri. Utque pretium » Montis hujusmodi ad effectum præ- » missum, quanto citius haberi valeat, » dilectis filiis Regimini, et Assum- » tis ab eodem Regimine deputatis, ac » aliis dictæ Gabellæ Grossæ, et alio- » rum redditnum hujusmodi Syndicis, » et Administratoribus, Montem prædi- » ctum, personæ, seu personis sibi be- » nevisis, et pro pretio reperibili ven- » dendi, et alienandi licentiam, et fa- » cultatem concedimus. Residuum ve- » ro dictarum librarum quadraginta » trium millium, quod, solutis annua- » tim prædictis libris triginta quinque » millibus nonigentis sexaginta, rema- » nebit, volumus, singulo quoque an- » no, in emptionem locorum hujusmo- » di, vel alterius Montis investiri, ut la- » psis præfatis sex annis, inserviant pro » amplianda extinctione locorum Mon- » tis hujusmodi, et quatenus aliquis » emptorum istorum locorum vellet in- » tra sexennium, in quo Montis hu- » jusmodi extinctio prohibetur, illa, » vel illorum partem vendere, tunc As- » sumptos, et Syndacos Administrato- » res dictæ Gabellæ, cæteris emptori- » bus præferri volumus intra mensem a » die venditionis, seu venditionum com- » putandum, volumusque etiam quod » Mons hujusmodi, ad beneplacitum Re- » giminis dictæ Civitatis, sive Assum- » torum, Syndicorum, et Admini- » stratorum prædictæ Gabellæ redimi, » et extingui valeat, ita tamen ut re- » demtio, et extractio hujusmodi fie- » ri nequeant nisi elapso sexennio a di- » cta die x. Octobris proxime futuri, » ut prefertur, computando, et deinde » omnino fieri debeat in una, seu plu- » ribus vicibus per sortem, et extractio- » nem, ut infra faciendam coram Ve- » xillifero justitiæ Bononiensi, videlicet; » Si summa tunc ad affrancationem in- » serviens erit sufficiens pro exsolven- » do integro credito primi extracti, to- » tam dictam summam teneatur reci- » pere pro quantitate tunc existenti; » si vero sit excedens, tunc pro sum- » ma excedenti secundus, et sic dein- » ceps alii, quousque erunt factæ af- » francationes pro summa tunc parata, » et existenti, qui secundus, et alii » subsequentes teneantur ordine succes- » sivo, et ipsi tunc recipere, et affran- » care pro summa dicti residui, dum- » modo tamen non sint creditores in » majori summa scutorum mille, et » dictum residuum sit minoris quanti- » tatis scutorum mille, quo casu cogi » non possint ad recipiendum, et af- » francandum pro dicta minori summa, » sed tunc procedendum sit ad ulterio- » res extractiones aliorum nominum » creditorum, quousque tunc extrahan- » tur Creditores minoris summæ Scu- » torum mille, volentes sic minores

» Paulus Papa V. Nos ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mandata, ut tenemur, exequi, ac debitæ exequutioni demandare volentes, et intendentes, auctoritate igitur nostri Thesaurariatus officii, ac in ejusdem præinserti Chirographi exequutionem, et vigore, et juxta illius formam, continentiam, ac tenorem vos, aliosque prædictos dictæ vestræ universitatis singulos, sub prætextu, quod in dicta Civitate Anconæ orti sitis, vel domicilium in ea contraxeritis contra formam, ac tenorem prædictarum sententiarum a modernis, et pro tempore existentibus dictæ civitatis Anconæ Dohaneriis molestari, perturbari, seu impediri minime posse, seu debere decernimus, atque declaramus, prædictaque privilegia, ac omnia, et singula capitula in eis quomodolibet contenta perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari mandamus, stricte propterea inhibendo mandantes R.P.D. dictae civitatis Anconæ Gubernatori, cœterisque Judicibus, et officialibus quomodolibet nuncupatis, nec non prædictis Dominis Dohaneriis dictæ Civitatis Anconæ, nunc, et pro tempore existentibus, cœterisque, ad quos spectat, et spectare poterit quomodolibet in futurum, quatenus sub mille ducatorum auri de camera eidem Cameræ Apostolicæ in eventum contraventionis applicandorum, et in juris subsidium excommunicationis, præsentes nostras, ac omnia, et singula in eis, et dicto præinserto chirographo, ac sententiis, et privilegiis prædictis contenta quæcumque, inviolabiliter observent, et faciant ab aliis, ad quos spectat, observari, non audentes, neque permittentes vos, aut dictæ vestræ universitatis aliquem contra dicti chirographi, ac sententiarum in ea enunciatarum continentiam, ac tenorem ab aliquo sub quovis prætextu, causa, colore, vel ingenio indebite molestari, perturbari, vel impediri, non obstantibus omnibus iis, quæ idem Sanctissimus Dominus Noster in dicto Chirographo voluit non obstare. In quorum fidem præsentes manu nostra signatas exinde fieri, et per infrascriptum nostrum Cameræ Apostolicæ Notarium subscribi, sigillique nostri, quo in talibus utimur, jussimus, et fecimus appensione muniri. Datum Romæ ex Ædibus nostræ solitæ residentiæ, Anno a Nativitate Domini MDCXX. Indict. III. die vero XI. mensis Junii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Pauli divina providentia Papæ V. Anno ejus decimosexto. Constantius Patritius = Felix de Totis = Registrata libro Diversorum Thesaurario fol. 1.

*Decretum Exequutorium Literarum Apostolicarum super iisdem privilegiis a Paulo V. expeditarum.*

Constantius Patritius Prothonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Referendarius, ejusdem Sanctissimi, et Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Thesaurarius. Universis, et quarumcumque Civitatum, Terrarum, Castrorum, et Locorum Status Ecclesiastici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, et immediate subjectorum RR. PP. DD. Gubernatoribus, eorumque Loca tenentibus, et Audi-

» toribus, nec non Commissariis, Vicariis, Prætoribus, cæterisque Jusdicentibus, et officialibus quomodolibet nuncupatis, ac aliis omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectare poterit quomodolibet in futurum, et quibus præsentes nostræ literæ exhibitæ, vel ostensæ fuerint salutem in Domino, et mandatorum nostrorum obedientiam. Noveritis nuper coram Nobis pro parte, et ad Instantiam Universitatis Hæbreorum Orientalium in Civitate Anconæ degentium comparitum, et expositum, extitisse alias felicis record. Paulum III., Pium IV., Pium V., Gregorium XIII., et Clementem VIII. specialibus favoribus, et gratiis ipsos Orientales Hæbreos, etiamsi in dicta Civitate domicilium quoquo modo habuerint, seu contraxerint prosequentes varia, et diversa privilegia, immunitates, et exemptiones Universitati ipsorum Hæbreorum, et eorum singulis, tam circa solutionem Dohanæ, Datiorum, et aliarum impositionum, ac emptionem, et venditionem mercium, quam etiam circa facultatem unam Scholam, seu Sinagogam ad ipsorum Orientalium Hæbreorum libitum in quolibet Status Ecclesiastici loco pro ipsorum Hæbreorum, et aliorum usu, et commodo erigendi, nec non licentiam, et facultatem eisdem, et eorum singulis itinerantibus tamen, seu iter facientibus per totum dictum Ecclesiasticum Statum, biretum nigrum, seu Pileum etiam in Hospitiis, et Tabernis deferendi concessisse, ac etiam Sanctissimum Dominum Nostrum Paulum V. hujusmodi privilegia, et exemptiones per suas literas in forma Brevis, et sub Annulo Piscatoris expeditas ampliasse, et confirmasse, quarum literarum tenor est qui sequitur videlicet = Paulus Papa V. ad futuram rei memoriam. Cum Apostolicæ Sedis benignitas eos etiam complecti, et favoribus, et gratiis prosequi consueverit qui licet a Christiana Fide sint alieni, in Ecclesiastica tamen ditione ex dictæ Sedis permissione commorantur, et conversantur. Nos ea, quæ illis a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, et ab ipsa Sede pro eorum commodis concessa sunt, libenter confirmamus. Sane Universitas Hæbreorum, Turcarum, Græcorum, et aliorum utriusque sexus Mercatorum partium Orientalium Civitatem nostram Anconitanam, et alia loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecta incolentium Nobis nuper exponi fecit, quod alias fel. record. Paulus PP. III. Prædecessor Noster expressis causis tunc existentium Hæbreorum, Turcarum, Græcorum, et aliorum dictæ Universitatis supplicationibus inclinatus, eisdem Hæbreis, Turcis, Græcis, et aliis Mercatoribus, ut unam Scholam, seu Sinagogam ad eorum voluntatem amovibilem eorumdem Orientalium liberam, et cujus superioritatem, et imperium solus Hæbreus Orientalis haberet in quolibet loco Status Ecclesiastici, in quo eis contingeret residere, erigere, et erectam, cujusvis licentia minime requisita, alio trasferendi, dummodo illa vicina alicui Ecclesiæ non esset, neque in vicinia aliquid scandali adferret, quodque dicti Græci, Turcæ, et Hæbrei, aut alii Orientales a dicta Civitate, aut quovis alio loco, in quo ipsi residerent, tam ratione belli cum Infidelibus, quam ex quavis alia causa, soluto ordinario Datio, libere cum omnibus eorum rebus, et personis, prout eis videretur, recedere, nec propterea, aut ex quovis delicto, vel alia causa represaliari possent, exceptis causis, in quibus ipsi pro se, vel aliis essent obligati, et quod nemini sive Christifideli, sive Turcæ, aut Mauro, vel Hæbreo interdiceretur, aut prohiberetur, seu directe, vel indirecte prohiberi posset, quominus per dictos Hæbreos Orientales tam in dicta Civitate, quam quovis alio loco Status Ecclesiastici Merces conducendas emerent, sed omnibus emere integrum esset absque metu alicujus pœnæ etiam in proclamationibus de mandato cujusvis Superioris, seu Officialis publicatis, et publicandis expresse, exceptis rebus communiter prohiberi solitis, de loco ad locum sine certa licentia conduci, nullusque Hæbreus, Turca, Græcus, aut aliquis alius Orientalis teneretur recipere Milites, aut illis domicilium dare, aut ad aliquam contributionem teneri, aut propterea ab eorum habitationibus expelli possent, aut aliquæ eorum res tam de supellectilibus, quam pecuniis ejici, dummodo habitationes eorum non essent conjunctæ mænibus Civitatis, vel alicui suspecto loco, et quod in causis ipsorum Hæbreorum, Græcorum, Turcarum, et aliorum Orientalium, in quibus de eorum interesse ageretur tam civilibus, quam criminalibus nullus Officialis se intromittere posset

Tenor Literarum Pauli V. super privilegiis Levantinis concessis in Civitate Anconæ

„ sed omnis dictarum causarum commissio, et decisio fieri deberet per „ Gubernatorem Anconitanum, seu illius Judices, et Consulem ipsorum „ Orientalium, aut ejus Substitutum, „ quorum jurisdictio non in solidum, „ sed conjunctim intelligeretur, et differentia inter ipsos Orientales solus „ Consul, aut ejus Substitutus, differentias vero, quæ inter ipsos Orientales, et alios respective verterentur „ dictus Gubernator cum dicto Consule, vel ejus Substitutus vocari, et „ moneri deberet, data sibi copia intentionis causæ cum competenti termino ad se de re informandum, et „ ad inquisiti defensionem, si voluerit, „ interveniendum, et omnis actus, seu „ Processus alias factus, ipso jure nullus, et invalidus existeret, et hoc intelligendum esset, quoad illos, qui „ in dicta Civitate, et illius Territorio, et non alibi degerent, cui Judicio dicti Orientales tam active, quam „ passive subjecti existerent, quodque „ dicti Orientales constringi non possent „ tam ob civilem, quam criminalem „ causam, etiam quod corporalis pœna veniret imponenda, dummodo „ causa ipsa originem, aut contractum „ non haberet, vel perpetratum non „ foret in Statu Ecclesiastico, aut expresse per Instrumentum, vel Cedulam conventum non fuisset, quod „ ubi reperti fuissent, ad solvendum cogi possent, exceptis causis contra Christianum; Et concurrenti aliquo maleficio, cujus causa veniret ultimum „ supplicium imponendum, dicti Judices possent formare Processum, illoque formato, et publicato accusatorem, et Processum ac Testes hujusmodi cum delinquenteRomam mittere, ubi talis causa terminari deberet, exceptis Testibus, nisi forent „ requisiti per Judicem in Urbe deputandum, et causis concernentibus servitium Principis, et celeritatem poscentibus; et quia dicti Hæbrei, Turcæ, Græci, et alii Orientales ibant, „ et redibant etiam sub bannimentis, „ quæ ab Officialibus locorum fieri contingerent, declaraverat, ipsos Orientales ab omni pœna per hujusmodi „ bannimenta imposita, et imponenda exceptos esse, dummodo per Civitatem, seu locum, in quo moram „ traxissent, arma non deferrent, nec „ noctu ultra solitum sine lumine irent, „ exceptis rebus etiam sine bannimentis communiter prohibitis; et quod „ dicti Orientales Hæbrei, Turcæ, et „ Græci sub decimarum, vigesimarum, et aliorum onerum tam ordinariorum, quam extraordinariorum „ impositis non compræhensi, sed ipsi „ cum eorum rebus, et personis ab illis liberi, et immunes intelligerentur, nisi clare appareret hujusmodi „ Orientales ibi domicilium elegisse, et „ contraxisse, non autem attenta forma „ Statutorum, sed Juris communis, „ quodque omnes Orientales Mari, vel „ Terra undecumque cum familia, et „ mercibus, vel sine ipsis venientes, „ et fidem sanitatis deferentes, possent „ Portum, et Civitatem, seu locum „ absque aliqua solutione, et impedimento ingredi, et inibi morari, et „ quo vellent libere se recipere, notificata tamen prius eadem fide dictoGubernatori, vel Deputatis. Præterea, „ quod dictis Orientalibus Hæbreis, „ Græcis, et Turcis datium aliquod ordinarium alterari, aut aliquod extraordinarium tam in rebus, quam in „ personis augeri non posset, neque ulterius personæ Orientales ad quartam „ partem illius, quod lucrarentur, cogerentur, neque cogi possent, quominus Proxenetæ artem hujusmodi „ exercerent, ipsique Hæbrei, Turcæ, „ Græci, et alii Orientales ab omni „ pœna legati, et per constitutiones, „ bannimenta, maleficia, vel quasi inter ipsos, vel quemlibet ipsorum „ quandocumque, et qualitercumque „ incursis, perpetratis, factis, vel dictis in genere, aut in specie directe, „ vel indirecte tam cognitis, quam incognitis absoluti essent, ac liberi, et „ franchi intelligerentur, ita quod desuper per viam accusationis neque ex „ officio inquiri possent, sed perinde „ haberentur, ac si ea die nati essent; „ concessis ipsis omni indulgentia, et „ remissione plenaria, etiam in foro „ contentioso, et pro ipsorum Orientalium securitate, Gubernator dictæ „ Civitatis teneretur, et obligatus existeret singulis annis, sicuti retroactis „ tunc temporibus consueverant, sub „ pœna publica proclamari facere, quod „ nemo deberet dictis Hæbreis, Græcis, Turcis, et aliis Orientalibus molestiam inferre, patrem pro filio ad „ pœnam obligando, et in Hebdomada Sancta dum clausi manent, illos, „ ne aliquo modo molestari possent, „ custodiri facere, dummodo quoad „ hebdomadam Sanctam de more se „ domi honeste continerent, per quasdam suas concessit; et deinde piæ „ memoriæ Pius IV, et Pius V, etiam

» prædecessores Nostri eorumdem Hæ- » breorum, Græcorum, et Turcarum » Universitatis precibus adducti, capi- » tula prædicta, et prout illa concer- » nunt, licita tamen, et honesta, et » quatenus in usu essent, et dummo- » do quoad solutionem, et remissionem » pœnarum occasione maleficiorum per » eos perpetratorum non essent deli- » cta contra Fidem, vel crimina læsæ » Majestatis per diversas eorum Lite- » ras, etiam cum suppletione defectuum, » si qui in eis intervenissent, et irri- » tantibus decretis approbarunt, et con- » firmarunt; Deinde rec: mem. Gre- » gorius PP. XIII. similiter prædeces- » sor Noster eadem capitula cum sup- » pletione, et decretis similibus con- » firmando, et approbando, per alias » suas literas statuit, et ordinavit, quod » quando ex tunc in futurum contin- » geret aliquem ex dictis Orientalibus » pro tempore decedere, quorum hæ- » redes non essent præsentes, ne bona » dilapidarentur, tunc eorum Consul » curaret fieri Inventarium per manus » Notarii publici in præsentia Testium, » et assistentia unius probi Viri ab Epi- » scopo Anconitano deputandi de omni- » bus rebus, bonis, pecuniis, creditis » dicti defuncti, quæ deberent rema- » nere in manibus ejusdem Consulis, » prout solitum erat fieri; quodque nec » Gubernator dictæ Civitatis, vel al- » terius loci, aut quivis alius se super » præmissis ullatenus immiscere, vel » interponere, neque dictum Consulem » super his molestare, perturbare, vel » impedire posset, nec deberet; quod- » que nullus Hæbreus Italicus, qui ac- » ciperet merces, aut quasvis alias res » a dictis Hæbreis, Græcis, Turcis, » et aliis Orientalibus, vel qui esset » eorum debitor, aliquod beneficium » quinquennalis, vel alterius dilationis » contra eosdem Orientales desuper ob- » tinere posset, neque deberet, et si » a Sede prædicta, aut pro tempore » existente Romano Pontifice obtineret, » nihilominus illud sibi nullatenus suf- » fragaretur, nec eo uti posset, illo- » que non obstante contra ipsum in » Judicio, et extra, perinde ac si tale » beneficium non obtinuisset, vel obti- » neret, procedi, et exequutio fieri de- » beret; Et demum piæ mem. Sixto » PP. V. etiam prædecessori Nostro pro » parte dictæ Universitatis ultra præ- » missa exposito, quod licet tempore » Pauli III., et Pii IV., ac Pii V. præ- » decessorum prædictorum nullus alius » præter Gubernatorem, et Consulem » prædictos in eorum causis civilibus, » et criminalibus se intromisisset, ni- » hilominus retroactis temporibus illud » a nonnullis Judicibus dictæ Civitatis » in eorumdem Hæbreorum, Turca- » rum, et Græcorum præjudicium vio- » latum fuerat; Idem Sixtus præde- » cessor, eorum hac in parte humili- » ter porrectis supplicationibus incli- » natus, ea omnia, et singula capi- » tula, concessiones, indulta, et de- » creta in eis contenta, licita tamen, » et honesta, et quatenus essent in usu, » approbando, et confirmando statuit, » et ordinavit, quod ex tunc deinceps » in perpetuum in eorum causis forum » Poli concernentibus dumtaxat, esset eo- » rum Judex Episcopus Anconitanus, seu » illius in Spiritualibus Vicarius Genera- » lis cum assistentia eorum Consulis fa- » ciliori linguæ intelligentia, quodque » in posterum nullus alius, præter » Gubernatorem, et Consulem prædi- » ctos se in eorum causis tam civili- » bus, quam criminalibus intromisce- » ret, et succesive bon: mem: Henri- » cus tituli Sanctæ Pudentianæ Presby- » ter Cardinalis Cajetanus Sanctæ Ro- » manæ Ecclesiæ Camerarius juxta rec. » mem. Clementis PP. VIII. etiam præ- » decessoris Nostri Literas Sixti V. præ- » decessoris observari mandavit, etiam- » si eo usque usu receptæ non fuissent; » Et ulterius eisdem Hæbreis Levan- » tinis, et cuicumque illorum conces- » sit, ut quandocumque per Statum » Ecclesiasticum iter facerent, et in » Hospitiis Biretum, aut Pileum ni- » grum impune deferre valerent; Et » tandem rec. memoriæ Clemens Pa- » pa VIII. prædecessor Noster in suis » literis super concessione privilegio- » rum, immunitatum, et salvicondu- » ctus pro Mercatoribus Anconam ve- » nientibus, vel ibi commorantibus » editis, inter alia Hæbreis Orientalibus » concessit, *ut* Statutis, et Capitulis eis » alias per dictum Paulum III. conces- » sis, seu permissis, cum moderatio- » nibus, et limitationibus tunc ex- » pressis uti valerent, prout in di- » versis eorum prædecessorum lite- » ris plenius continetur. Cum autem, » sicut eadem expositio subjungebat, » ea firmiora sint, quæ Apostolicæ au- » ctoritatis præsidio sæpius muniuntur, » Nobis propterea, ipsius Universitatis » nomine humiliter supplicatum fuit, » ut præmissis Apostolicæ firmitatis » robur adjicere, de benignitate Apo- » stolica dignaremur. Nos igitur præ- » sentibus pro expressis habentes, ac

» considerantes illorum commercium » Statuti Nostro temporali aliquantulum prodesse, ac sperantes, eos per » conversationem inter Christianos, Spiritus Sancti illuminatione viam veritatis, et Sanctam Fidem aliquando » agnituros, eorum in hac parte Nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, ea omnia, et singula capitula, concessiones, indulta, et decreta in eis contenta, licita tamen, et honesta, etiam si usu » recepta non sint, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, » illisque plenariæ, et inviolabilis firmitatis robur adjcimus, omnesque, » et singulos tam juris, quam facti » defectus, si qui forsan intervenerint, » quomodolibet in eisdem supplemus, » nec non Hæbreos, Turcas, Græcos, » et Mercatores prædictos amplioribus » favoribus, et gratiis prosequentes, statuimus, et ordinamus, quod ex nunc » deinceps in perpetuum in eorum causis forum Poli concernentibus dumtaxat, » sit illorum Judex Episcopus Anconitanus, seu illius in spiritualibus Vicarius Generalis cum assistentia eorum » Consulis pro faciliori linguæ intelligentia, quodque in posterum nullus » alius præter Gubernatorem, et Consulem prædictos se in eorum causis » tam civilibus, quam criminalibus » se intromisceat: Decernentes præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu » intentionis Nostræ defectu notari, » impugnari, aut invalidari non posse; sicque per quoscumque Judices, » et Commissarios quavis auctoritate » fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, » judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a » quoquam quavis auctoritate scienter, » vel ignoranter contigerit attentari. » Quocirca eidem Gubernatori Provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ, et » Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Vicario » Venerabilis Fratris Anconitani Episcopi nunc, et pro tempore existentibus per præsentes committimus, » et mandamus, quatenus ipsi vel duo, » aut unus eorum per se, vel alium, » seu alios omnia, et singula capitula, concessiones, indulta, et decreta, ac præsentes literæ, et in eis contenta quæcumque, ubi, et quando » opus fuerit, ac quoties pro parte » eorumdem Hæbreorum, Turcarum, » Græcorum, et aliorum Orientalium, » seu alicujus eorum desuper fuerint » requisiti solemniter publicantes, eisque, et eorum singulis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra » præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, ut præfertur, firmiter observari, ac ipsos Hæbreos, » Turcas, Græcos, et alios Mercatores prædictos, ac omnes, et singulos, quos ipsæ literæ quomodolibet » concernunt, illis pacifice frui, et » gaudere, non permittentes eos, seu » eorum aliquem per quoscumque, contra illorum tenorem, quovis modo indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, et » rebelles per pœnas etiam pecuniarias » sibi visas, et demum per sententias, censurasque Ecclesiasticas, et » alia opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his » habendis servatis processibus, pœnas, » sententias, et censuras prædictas » etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non » obstantibus constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non » omnibus illis, quæ dicti prædecessores in dictis literis voluerunt » non obstare, cœterisque contrariis » quibuscumque. Datum Romæ apud » Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII Maji MDCVI. Pontificatus Nostri anno primo = M. Vestrius » Barbianus = Fuimusque pro parte Universitatis Hæbreorum prædictorum » instanter requisiti, quatenus privilegia, immunitates, et exemptiones » prædictas observari mandare dignaremur. Quocirca nos attendentes, requisitionem hujusmodi fore justam, et » rationi consonam, vobis omnibus, et » singulis supradictis, et vestrum cuilibet » insolidum, auctoritate nostri Thesaurariatus officii, tenore præsentium committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, quatenus sub mille ducatorum auri Cameræ Apost. applicandorum, ac mandati exequutivi pro illis, » et in juris subsidium excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis respective, » debeant, et ipsorum quilibet debeat » dictas præinsertas literas Apostolicas, » omniaque, et singula privilegia, immunitates, et exemptiones in eisdem

Sequitur decretum Exequutoriale prædictarum Literarum

» literis enunciata, et contenta inviolabiliter, et ad unguem observasse, » et adimplevisse, ac per quos spectat, » et spectare poterit quomodolibet in » futurum observari, et adimpleri fecisse, curasse, et mandasse, ac præsentibus nostris, dictisque præinsertis, » literis Apostolicis, et in eis contentis » quibuscumque in omnibus, et per » omnia paruisse. Et insuper inhibendo expresse præcipimus, et mandamus omnibus, et singulis sua communiter, vel divisim interesse putantibus, ac in exequutione præsentium nominandis, et cognominandis, » sub jam dictis pœnis audeant, seu » præsumant, ac ipsorum aliquis audeat, seu præsumat dictos Orientales » Hæbreos contra formam, ac tenorem dictarum præinsertarum literarum Apostolicarum privilegiorum ipsis in eisdem literis concessorum » molestare, vexare, perturbare, seu » impedire, aut aliquid desuper innovare, seu attentare, ac innovari, attentari, molestari, vexari, perturbari, seu impediri facere, permittere, vel curare per se, vel alium, » seu alios quovis prætextu, causa, » colore, vel ingenio; et si quis in » præmissis se fore gravatum senserit etc. compareat Romæ in Judicio » coram Nobis etc. alioquin contra inobedientes ad pœnarum prædictarum » incursus declarationem, et exequutionem procedemus, et procedi mandabimus justitia mediante. In quorum fidem præsentes manu nostra » signatas exinde fieri, et per infrascriptum nostrum Cameræ Apostolicæ Notarium subscribi, sigillique » nostri, quo in talibus utimur, jussimus, et fecimus appensione muniri. Datum Romæ ex Ædibus nostræ » solitæ residentiæ anno a Nativitate » Domini millesimo sexcentesimo vigesimo Indictione tertia die vero XII. » Junii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Pauli Divina Providentia Papæ V. » anno ejus decimo sexto = Constantius » Patritius = Felix de Totis = Registrata » Libro diversorum Thesaurario fol. iij.

*In relatorum privilegiorum sequelam Levantinorum Consulem nominavit S. M. Clemens X.*

Interea temporis quod dicti Romani Pontifices, privilegia, et indulta hujusmodi concesserunt, alii itidem Romani Pontifices, Consules dictarum Nationum elegerunt, et nominarunt, præsertim Clemens PP. X., et Alexander. PP. VIII. tenoris sequentis, nempe. » Foris = Dilecto filio Stephano Antonio » Benincasa Civi Anconitano = Intus vero. Clemens Papa X. Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem. » Sinceræ tuæ in Nos, et Apostolicam » Sedem fidei et devotionis affectus » Nos inducit, ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur. Cum » itaque Officium Consulatus Nationum » Portugalliæ, et Levantinæ in Civitate Nostra Anconitana per obitum » quondam Luciani Benincasa Civis » Anconitani Genitoris tui, illud, dum » viveret, obtinebat, vacaverit, et vacet ad præsens. Nos specialem tibi » gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis à » jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum » præsentium tantum consequendum, » harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus » tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi Officium » Consulatus Nationum Portugalliæ, et » Levantinæ hujusmodi, ac Insulæ » Pathmos, et quarumcumque aliarum » Insularum, Civitatum, Oppidorum, » et locorum totius Ditionis Turcarum » Tyranni, ac etiam Persarum Regis, » sive Magni Sultani, sive Sophi, aut » alias quomodolibet vulgo nuncupati, » existentium cum auctoritate, facultatibus, potestatibus, jurisdictionibus, privilegiis, præminentiis, salariis, emolumentis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, ac eisdem modo, » et forma, quibus dictus Lucianus, illud, dum viveret, obtinebat, et exercebat, auctoritate Apostolica tenore » præsentium ad Nostrum, et Sedis » Apostolicæ beneplacitum concedimus, » et assignamus, illudque tibi concessum, et assignatum fore, et esse decernimus. Mandantes dilecto filio moderno, et pro tempore existenti dictæ Civitatis Gubernatori, nec non dictarum Nationum Prioribus, et Officialibus, ac personis, cœterisque, ad » quos spectat, seu quomodolibet spectare in futurum poterit, in virtute » sanctæ Obedientiæ, ac sub pœnis arbitrio Nostro imponendis, quatenus » Te in Consulem dictarum Nationum, » et ad ipsius Consulatus Officium hujusmodi, ejusque liberum exercitium, » nec non honores, facultates, salaria, » et emolumenta, aliaque præmissa, juxta tenorem præsentium recipiant, et » admittant; Teque in illo continuare » permittant, ac Tibi de salariis, et

» emolumentis præfatis debito tempore » cum effectu respondeant, et ab aliis » responderi curent, et faciant, non per- » mittentes Te super præmissis, vel » eorum aliquo per quoscumque con- » tra præsentium tenorem indebite mo- » lestari, aut inquietari, irritumque, » et inane si secus super his a quo- » quam, quavis auctoritate, scienter, vel » ignoranter contigerit attentari decer- » nimus. Non obstantibus præmissis, ac » quibusvis Constitutionibus, et Ordi- » nationibus Apostolicis, dictæque Ci- » vitatis etiam juramento, confirmatio- » ne Apostolica, vel quavis firmitate » alia roboratis, statutis, et consuetu- » dinibus; privilegiis quoque, indultis, » et Litteris Apostolicis Consuli dictæ » Insulæ Pathmos, ac quibusvis aliis » personis sub quibuscumque tenoribus, » et formis, ac cum quibusvis clausu- » lis, et decretis in contrarium quo- » modolibet concessis, confirmatis, et » innovatis. Quibus omnibus, et sin- » gulis, etiamsi de illis specialis, spe- » cifica, et expressa mentio habenda » esset, illorum tenores præsentibus pro » plene, et sufficienter expressis ha- » bentes illis alias in suo robore per- » mansuris ad præmissorum effectum » specialiter, et expresse derogamus, » cœterisque contrariis quibuscumque. » Datum Romæ apud S. Mariam Majo- » rem sub annulo Piscatoris die XXIII. » Decembris MDCLXXI. Pontificatus » Nostri Anno secundo. I. G. Slu- » sius Loco ✠ Annuli Piscatoris. = Foris » Dilecto Filio Marchioni Stephano An- » tonio Benincasa Anconitano.

Itemque Levantinorum Consulem nominavit S. M. Alexander VIII.

Alexan- » der Papa VIII. Dilecte Fili Salutem, » et Apostolicam Benedictionem. Since- » ræ Tuæ in Nos, et Apostolicam Se- » dem fidei, et devotionis affectus Nos » inducit, ut specialibus favoribus, et » gratiis prosequamur. Volentes itaque » Tibi gratiam facere specialem, Te- » que a quibusvis excommunicationis, » suspensionis, et interdicti, aliisque » Ecclesiasticis sententiis, censuris, et » pœnis a jure, vel ab homine qua- » vis occasione, vel causa latis, si qui- » bus quomodolibet innodatus existis, » ad effectum præsentium tantum con- » sequendum harum serie absolventes, » et absolutum fore censentes, suppli- » cationibus Tuo nomine Nobis super » hoc humiliter porrectis inclinati, Ti- » bi Officium Consulatus Nationum Por- » tugalliæ, et Levantinæ, ac Insulæ Pa- » thmos, ac quarumcumque aliarum » Insnlarum Civitatum, Oppidorum, et » locorum totius Ditionis Turcarum Ty- » ranni, ac etiam Persarum Regis, si- » ve Magni Sultani, sive Sophi, aut » alias quomodolibet vulgo nuncupati » existentium in Civitete nostra Anco- » nitana cum auctoritate, facultatibus, » potestatibus, jurisdictionibus, privi- » legiis, præeminentiis, salaris, emo- » lumentis, honoribus, et oneribus so- » litis, et consuetis, auctoritate Apo- » stolica, tenore psæsentium ad Nostrum, » et Sedis Apostolicæ beneplacitum con- » cedimus, et assignamus, illud Ti- » bi concessum, et assignatum fore, » et esse decernimus. Mandantes dile- » cto filio moderno, et pro tempore » existenti dictæ Civitatis Gubernatori, » nec non dictarum Nationum Prioribus, » et Officialibus, ac personis, cœteris- » que, ad quos spectat, seu quomo- » dolibet spectare in futurum poterit, » in virtnte sanctæ Obedientiæ, ac sub » pœnis arbitrio Nostro imponendis, qua- » tenus Te in Consulem dictarum Na- » tionum, et ad ipsius Consolatus Offi- » cium hujusmodi, ejusque liberum » exercitium, nec non honores, facul- » tates, salaria, et emolumenta, alia- » que præmissa, juxta tenorem præsen- » tium recipiant, et admittant, Teque » in illo continuare permittant, ac Ti- » bi de salariis, et emolumentis præ- » dictis debito tempore cum effectu res- » pondeant, et ab aliis responderi cu- » rent, et faciant. Non permittentes Te » super præmissis, vel eorum aliquo » per quoscumque contra præsentium te- » norem indebite molestari, aut inquieta- » ri, irritumque, et inane, si secus super » his a quoquam, quavis auctoritate, scien- » ter, vel ignoranter contigerit attenta- » ri, decernimus. Non obstantibus præ- » missis, ac quibusvis Constitutionibus, » et Ordinationibus Apostolicis, dictæ- » que Civitatis etiam juramento, con- » firmatione Apostolica, vel quavis fir- » mitate alia roboratis statutis, at con- » suetndinibns; privilegiis quoque, in- » dultis, et literis Apostolicis Consuli » dictæ Insulæ Pathmos, ac quibusvis » aliis personis sub quibuscumque te- » noribus, et formis, ac cum quibus- » vis clausulis, et decretis in contra- » rium quomodolibet concessis, con- » firmatis, et innovatis. Quibus omni- » bus, et singulis etiamsi de illis spe- » cialis, specifica, et expressa mentio » habenda esset, illorum tenores præ- » sentibus pro plene, et sufficienter ex- » pressis habentes illis alias in suo ro- » bore permansuris ad præmissorum » effectum specialiter, et expresse de- » rogamus, cæterisque contrariis qui-

» buscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxii. Dec MDCLXXXX. Pontificatus Nostri anno secundo. J. F. Cardinalis Albanus. Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Preces porrectæ pro supra relatorum privilegiorum confirmatione, quæ Pontificia auctoritate fuere reapse confirmata paucis adjectis exceptionibus

§. 3. Cum autem Universitas prædicta quo præinserta privilegia firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri sommopere desideret. Nos igitur Universitatem prædictam amplioribus favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta privilegia, gratias, exemptiones, ac indulta a dictis Romanis Pontificibus concessa, et a memorato Paulo prædecessore Nostro confirmata, et ampliata confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, hac tamen conditione, ut in causis criminalibus cujuscumque personæ ex dictis Nationibus, illarum processus, seu acta quæcumque per pro tempore existentem tam dilecti Filii Magistri Vincentii Mariæ Altieri moderni ac pro tempore itidem existentis dictæ Civitatis Gubernatoris Locumtenentem Criminalem, prout transactis temporibus, et pluribus ab hinc annis, absque eo quod Consul præfatarum Nationum nominatus, vocatus, intimatus, aut auditus sit, peracta, et gesta fuerint, in posterum quoque peragantur, prosequantur, et fine debito terminentur, ac insuper ut dicti Hæbrei, Turcæ, Græci, cœterique in dictis literis quarumcumque partium Orientalium hujusmodi nominati et expressi, ac contenti ad solutionem novæ Taxæ, seu impositionis, sive Vectigalis, aut Gabellæ super cujuscumque mercis genere, et specie postquam Appaltus, seu Locatio, aut Affictus Tabacci ademtus, et remotus fuit, si ad eamdem solutionem cœteri dictæ Civitatis Mercatores tenentur, etiam teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab aliis inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ idem Paulus Prædecessor in præinsertis literis voluit non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxv. Septembris MDCCLX, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

---

## CCXXXVII.

Dat. die 21 Julii 1760 Anno III.

Collegii Umbri, et Nicætæ Lassi in Urbe, Statuta a Cardinali Protectore concinnata, Apostolica auctoritate approbantur, et exequutioni comittuntur.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ea, quæ pro salubri Collegiorum, in quibus adolescentes propriæ salutis cupidi, pietatis, bonarumque literarum studiis operam dant sedulam, directione, felicique progressu pie, prudenterque constituta, atque ordinata esse noscantur, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus;

Institutionis Collegii Nicetae Lassi in Urbe refertur historia

§. Alias siquidem Nobis exposuit dilectus filius Noster Jacobus S. R. E. Presbyter Cardinalis Oddi nuncupatus Collegii Umbriæ, et Nicetæ Lassi etiam nuncupati apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protector, quod tunc in humanis agens Joannes Karolus Lassi in suo, sub quo ab humanis decessit Anno MDCLXXXIII condito Testamento mandavit, ut ex bonis suæ hæreditatis unum Collegium in Alma Urbe Nostra sub nomine *di Niceta Lassi* suæ genitricis erigi deberet, in quo reciperentur, et alerentur novem Juvenes, quorum tres ex Fulginatensi, alii tres ex Narniensi respective Civitatibus, et reliqui tres ex Terra *Colvalenza* originem ducerent, et sicuti tunc temporis annui fructus, redditus, et proventus dictæ suæ hæreditatis pro manutentione præscripti Collegialium numeri minime sufficiebant, voluit ut fructus hujusmodi reinvestirentur donec, et quousque ad præmissum effectum sufficerent; Anno vero

MDCCV cum annui redditus hujusmodi hæreditatis summam quingentorum triginta quatuor scutorum, et obulorum sexaginta monetæ Romanæ constituerent, fel: rec: Clemens Papa XI. Prædecessor Noster ad Supplicationem bo: me: Josephi dum vixit S. R. E. prædictæ Presbyteri Cardinalis Sacripanti nuncupati ejusdem Collegii Protectoris proprium, atque consentaneum esse existimavit, ut Collegium hujusmodi pro sex dumtaxat Collegialibus in antecessum aperiretur; ea tamen lege, ut ex dicta summa centum scuta paria singulis annis, ac illorum annui fructus, et fructus fructuum semper reinvestiri, ac augeri deberent donec, et quousque summam pro manutentione trium aliorum Collegialium congruentem constituerent, sicuti ipse Joannes Karolus mandavit;

Refertur unio novi Collegii Nicetae Lassi cum alio Umbriae nuncupato, et praecedenter in Urbe erecto.

§. 3. Et quia tunc temporis aliud Collegium in Almâ Urbe prædicta institutum reperiebatur, quod Umbriæ vocabatur, in quo Juvanes propriis sumptibus, ac cum subsidio aliarum personarum se se alere pergebant, ipse Clemens Prædecessor jussit, ut duo Collegia hujusmodi unirentur, et Collegium Umbriæ, et Nicetæ Lassi nuncuparentur; cum autem in vim dicti demandati multiplici, annui redditus dicti Collegii Lassi ita adaucti essent, ut novem Juvenum manutentioni superessent, ipse Jacobus Cardinalis, et Protector summopere cupiebat, ut juxta dispositionem ejusdem Joannis Karoli Testatoris facultatem augendi, ac insimul recipiendi tres alios Collegiales concederemus, et id tam juxta mentem, et voluntatem ejusdem Joannis Karoli Testatoris, quam ipsius Clementis Prædecessoris, qui voluerat, ut, statim ac annui redditus prædicti summam congruentem pro manutentione aliorum trium Juvenum constituerent, nominatio dictorum trium Collegialium fieri deberet, et ita numerus a dicto Joanne Karolo Testatore præscriptus completus existeret, consentaneum erat. Nos hujusmodi expositionibus inclinati, facultatem hujusmodi eidem Jacobo Cardinali, et Protectori per Nostrum rescriptum tribuimus, ac insuper impertiti fuimus, ut postquam ipse Jacobus Cardinalis, et Protector, tres alios Collegiales ab iis, ad quos spectat electos, et nominatos in dicto Collegio receperit, quidquid pro illorum assignatione superest ex annuis redditibus adauctis ad summam centum circiter scutorum parium, ad multiplicum relinquere valeret, ad effectum in meliorem statum redigendi fabricam dicti Collegii, ac illud, dictorumque Collegialium numerum tractu temporis adaugendi.

Regulas, et constitutiones pro recto unitorum Collegiorum gubernio Cardinalis Praefectus condidit.

§. 4. Nuper vero ipse Jacobus Cardinalis, et Protector, regulas, et constitutiones in prosperum dicti Collegii regimen, et administrationem, bonamque Collegialium in eo pro tempore existentium tum in literis tum in moribus institutionem conducentes jam ea de causa conditas, quo firmius subsistant, et serventur exactius per Nos confirmari plurimum desiderat; tenor autem regularum hujusmodi est, qui sequitur, videlicet.

Refertur tenor constitutionum, et regularum.

Giacomo del Titolo di Santa Prassede
» della S. R. C. Prete Cardinal Oddi
» per la Divina Misericordia Vesco-
» vo di Viterbo, e Toscanella, e
» Protettore del Collegio dell'Umbria.

Introduzione alle regole, ed' origine,
» e stabilimento del Collegio dell'Um-
» bria, e di Niceta Lassi.

» Essendo ad ognuno manifesto il » grand' utile, che riceve la Gioventù » dalla fondazione de' Collegii, ne quali può agevolmente apprendere la pietà, e le scienze: è anche ugualmente » noto esser necessario, che i sudetti » Collegii siano forniti di buone rego» le, e costituzioni, perchè si mantenghano i Giovani nel loro dovere, e non » deviino in minima parte dal camino » della virtù. Quindi è, che fin dall' » anno 1735 essendo di quel tempo » Protettore del Collegio dell' Umbria, » e di Niceta Lassi il Sig. Cardinale Ac» coramboni, ed essendo egli assente » da Roma per la dimora, che faceva » nel suo Vescovado d' Imola, gover» nava lo stesso Collegio Monsignor » Carlo Sacripante, come Deputato di » esso, ed ordinò, che si stendessero » le regole adattate al medesimo, le » quali furono stese con tutta la mag» giore attenzione, e sono state sem» pre puntualmente osservate. Volendo » ora Noi, che abbiamo l' incarico di » Protettore, provedere per quanto ci » è possibile alla buona direzzione del » detto Collegio, abbiamo non solo nuo» vamente approvate le sudette regole » mà abbiamo ancora aggiunti alle me» desime alcuni pochi ordini, e dilu» cidazioni, che abbiamo creduto con» venire alla quiete del Collegio, ed » al vantaggio de Giovani.

» Prima però di stendere la accen» nate regole, abbiamo stimato oppor-

» tuno di dare un breve raguaglio dell'
» origine di questo Collegio, e delle
» cose ordinate dal suo Fondatore, ac-
» ciò i Giovani, ed anco i Ministri pos-
» sano più agevolmente uniformarsi al-
» la di lui mente, ed al loro dovere.
» Giovan Carlo Lassi nel suo ultimo
» testamento rogato in Roma il dì pri-
» mo Novembre 1683 istituì suo uni-
» versale Erede un Collegio da erigersi
» in quest' Alma Città, il quale doves-
» se portare il nome di Niceta Lassi
» sua Madre, e si dovessero alimenta-
» re in esso nove Giovani, cioè trè di
» Foligno, trè di Narni, e trè della
» Terra di Colvalenza con quelle con-
» dizioni, e regole, che sono espres-
» se in detto suo testamento, e che
» si devono mantenere nel suo pieno
» vigore. Perchè poi il suo asse ere-
» ditario non era sufficiente ad alimen-
» tare i sudetti nove Giovani, ordinò,
» che si ponesse a moltiplico fino a tan-
» to che si fosse reso capace a tal man-
» tenimento. Nel 1705 essendo giunta
» la rendita a Scudi 534: 60: il Sig.
» Cardinale Giuseppe Sacripante pensò
» ad anticipare l'apertura del detto Col-
» legio con ottenere la grazia dalla S.
» M. di Clemente XI. allora Regnan-
» te, che si aprisse per soli sei Giova-
» ni, e che si lasciassero della sudet-
» ta rendita Scudi 100 per seguitare
» con essi il moltiplico fino a tanto
» che fosse giunto a poter mantenere
» gli altri trè Giovani voluti dal Testa-
» tore. Si ottenne la sudetta grazia con
» tutte le necessarie cautele, e con tut-
» ti li consensi degl' interessati, e per-
» chè nel 1702 era stato aperto altro
» Collegio in Roma col nome di Col-
» legio dell' Umbria, il quale si man-
» teneva con il pagamento, che face-
» vano li Convittori, e con varie con-
» tribuzioni, che v' aggiungevano al-
» cuni particolari della medesima Pro-
» vincia, fù ottenuta anche la grazia,
» che s' unisse a questo quello di Nice-
» ta Lassi col nome di Collegio dell'
» Umbria, e di Niceta Lassi. Essendo-
» si ora fatto il moltiplico non solo
» sufficiente per mantenere li nove Gio-
» vani, ma anche capace da potersi con-
» tinuare lo stesso moltiplico colla me-
» desima somma di Scudi 100, che so-
» pravvanzano per poter poi con il las-
» so del tempo ampliare la fabrica del
» Collegio, ed aumentare il numero
» dei Giovani in benefizio della Pro-
» vincia.

» Quindi in virtù non meno della
» disposizione del Testatore, e della
» mente della S. M. di Clemente XI.,
» che del rescritto ottenuto sotto il gior-
» no 12 Luglio 1760 dal Regnante Som-
» mo Pontefice Clemente XIII. abbia-
» mo ordinato a quelle persone, cui
» spetta l' elezione degli altri trè Gio-
» vani a norma della menzionata di-
» sposizione, che procedeno all' ele-
» zione medesima, onde alla nuova
» apertura de' studj resti compito il nu-
» mero degli Alunni in detto Collegio.

## REGOLE

## E

## COSTITUZIONI

*Pel Buon governo del Collegio dell' Umbria, e di Niceta Lassi fatte per ordine di Monsig. Illmo, e Rmo Carlo Maria Sacripante Deputato del medesimo Collegio l' anno 1735, poi Cardinale, e Protettore di esso, con aggiunta di alcuni ordini, e dilucidazioni fatte stendere dall' Emo, e Rmo Cardinale Oddi Protettore dello stesso Collegio nel 1760.*

---

### CAPITOLO I.

*Del Protettore, e Deputato*

» Gio: Carlo Lassi, oltre quello
» che si è detto di sopra, ordinò nel
» suo testamento, che il governo, e
» sopraintendenza di questo Collegio da
» lui istituito col nome di Niceta Las-
» si sua Madre, dovesse affidarsi al
» Procuratore Generale pro tempore del-
» la Compagnia di Gesù con le più
» ample facoltà; surrogando in luogo
» suo, in caso di renuenza, i PP. di
» S. Maria in Campitelli. Nessuno di lo-
» ro volle assumersi una tale incom-
» benza, cosicchè fù appoggiata la di-
» rezione, e il governo del Collegio
» ad un Cardinale col nome di Protet-
» tore con la deputazione di un Prela-
» to, che fosse a quegli di sollievo, e
» facesse in di lui mancanza le sue ve-
» ci. Il Cardinal Protettore quantunque
» secondo il testamento, secondo le
» regole, e secondo l' osservanza, ab-
» bia in facoltà di disporre tutto sen-
» za la minima dipendenza, ed a suo
» arbitrio, ciò non ostante negli affa-
» ri più rilevanti, che per tali vengo-
» no da lui giudicati, è solito di non
» risolvere, senza sentirne il parere del-

» la Congregazione dell' Umbria, che » viene a formarsi dalle persone civili » di essa Provincia, le quali soglionsi » preventivamente intimare: la qual » Congregazione viene destinata dal Car- » dinal Protettore ed in di lui man- » canza dal Prelato deputato. Il Pro- » tettore deve essere uno de Cardinali » della Provincia dell' Umbria, in ca- » so, che vi siano, con' avere riguar- » do all' anzianità nell' elezione.

## Capitolo II.

### *Del Rettore*

» I. Dovrà il Rettore abitare di » continuo nel Collegio, nè potrà mai » pernottare fuori di esso, senza l' es- » pressa licenza del Cardinal Protetto- » re, o del Deputato.

» II. Inoltre dovrà il Rettore in- » vigilare, e sopraintendere al buon go- » verno di tutto il Collegio, alla pun- » tuale osservanza delle infrascritte re- » gole, facendole leggere a tavola al- » meno ogni trè mesi.

» III. Seguendo in Collegio qual- » che disordine, dovrà il Rettore ren- » derne subito informato il Protettore, » o il Sig. Deputato.

» IV. Attese le scarse rendite » del Collegio, dovrà attendere a fare » le sue provisioni per tempo con tut- » ta quella economia, e risparmio che » sia possibile.

» V. Invigilare sopra la buona » educazione de Giovani, e sopra il » profitto di essi, e darne a Superio- » ri quelle relazioni o buone, o catti- » ve secondo il loro merito.

## Capitolo III.

### *Del Prefetto*

» I. Sarà Uffizio del Prefetto da- » re il segno della levata due ore e mez- » za prima del suono della Campana » del Collegio Romano, eccetto di mezz' » ora meno, quando l' averanno i Gram- » matici in Collegio Romano per la va- » canza della settimana, mà nei gior- » ni di Festa, e di Vacanza darà il se- » gno più tardi.

